

4  
opisne Ordine



397




Isitikan	U	Isitikan
23	8	2
Sala	A	
Isitikan	3	
Tabla	397	
Isitikan		

u

397

No. 1  
24-136

23  
8-2  
A  
3  
397



CORONALV  
CIDA

IN. COELO. IAM. FVLGENS  
OLIM. IN. TERRIS. CONSERTA  
EX ILLVSTRIBVS. VITA. DOCTRINA. SANCTI  
TATE. MONACHIS. ORD. S. BENEDICTI  
DESCRIPTA. ET. IN. A.S. INCISA  
AETERN. MEM. GRACIA  
AVCTORE

R. P. F. CAROLO STENGELIO ORD. S. BEN. MON  
S. VDALRICI & APRAE AVGVSTA  
VIND. PROFESSO. PARS. I.

*De Ordinis propagatione*



REVEREN-  
DISSIMO ET  
AMPLISSIMO  
IN CHRISTO PRÆ-  
SVLI AC DOMINO D. AN-  
TONIO, SS. THEOLOGIE DO-  
ctori, S.<sup>æ</sup> C.<sup>æ</sup> M. <sup>ti</sup> à consilijs, & peril-  
lustris Monasterij Cræmiphansenfis in Au-  
stria superiore Archiabbari me-  
ritissimo, &c.

F. CAROLVS STENGE-  
LIVS, F. P.



RECTE QUIDEM ANI-  
mo meo florentissimus rerum  
Romanarum auctor Sallustius  
scripsit: <sup>a</sup> Q. Maxumum,

P. Scipionem, præterea ciuitatis no-  
stra præclaros viros solitos ita dicere:  
cum maiorum imagines intuerentur,

a Præf.  
bel. In-  
gurtz

## DEDICATIO.

vehementissimè sibi animum ad virtutem accendi. scilicèt non ceram illam, neq; figuram tantam vim in sese habere; sed memoriâ rerum gestarum eam flammam egregijs viris in pectore crescere, neq; prius sedari, quàm virtus eorum famam, atq; gloriam adæquauerit. Idipsum ego, si rectè aduertim animum, mihi & alijs qui iuxta mecum in in ysdem castris religionis stipendia merèt, non vtile dumtaxat, sed planè necessarium factu esse iudicavi, ut scilicèt primos nostræ huius militia auctores & duces assiduâ mēte recolamus, ad eorum præclara facinora nostra facta componamus, quomodo illi hostes expugnârint, vicerint, prostrauerint, sedulo cogitemus. Quæ, iudicio meo, aut sola, aut rectissima ad victoriam atq; triumphum est via.

Sanè quidem cùm Imperatoris Aureliani vitam à Latinorum nemine adhuc scriptam audisset olim vir illustris Urb. Præf. Iunius Tiberianus, ilicò ingemuisse, magnòq; ac iusto animi dolore commotus hæc in verba prorupisse scribitur: b Ergò Therfiten, Sinonem, ceteraq; illa prodigia

## DEDICATIO.

digia vetustatis, & nos benè scimus, & posteri frequētabunt: Diuum Aurelianum, clarissimum Principem; seuerissimum Imperatorem, per quem totus Romano nomini orbis est restitutus, posteri nescient? At quantò Aurelianus Therfite, Sinone, ceterisq; illis vetustatis prodigijs maior, & scitu lectuq; dignior, tanto, aut sexcenties potius millicuplo, & Aureliano, & Augusto, & Alexandro Magno, ceterisq; omnibus Gentilitatis prodigijs maior, & scitu lectuq; dignior cælitum omnium minimus. Illosigitur Gentiles benè sciemus & legemus nos Christiani, eosdemq; frequentabunt posteri, Diuos verò veros, clarissimos æternæ gloriæ Principes sanctissimos ad sempiternam felicitatem Duces summos fidei vitæq; Christianæ, religiose atq; Monastica Imperatores ac Magistros, per quos totus ferè æternæ antea damnationi obnoxius, veræ numquamq; adimenda libertati restitutus orbis est, nescimus nos? nescient posteri? Deus, inquit ibat idem Tiberianus, auertat hanc amentiam. istaq; me res exstimulauit, ut præcipuos nostri BENEDICTINI ORDINIS

DINIS sanctos PONTIFICES, MARTYRES, EPISCOPOS, ABBATES, MONACHOS, eorumq; causa complures alios, qui in ysdem locis claruerunt, ipsaq; adeo Religionis Monastica prima velut incunabula, quibus ob temporum longinquitatem, & iniuriam offusa caligo maxima; collustrare oculis, & aliqua literarum, ordinisq; temporum, & testimoniorum luce conatus sim illustrare. Quid consecutus sim, iudicabunt alij: & quidem, ut moris est; peruarie: vocabuntq; hosce libellos aliqui aut Rhapsodiam, aut Centonem, me sane contra nihil eunte. Sunt enim & centum amplius Auctoribus contexti: & plures quam centum huius nostri Ordinis illustres qua sanctitate, qua doctrina Monachos complectuntur.

c Mart.  
lib. 9.

o Maiores maiora sonent. mihi parua locuto

Sufficit, in laudem cedere cuncta Dei.

Sanctorum enim commemoratio, & depraedicatio in illum, a quo ut depraedicari queant, acceperunt; DEVS ipsum, bonorum fontem, Oceanumq; omnium redundat.

Scribendi autem rationem hanc tenere visum,

visum, ut quod alienis narrare verbis possem, id meis vel non omnino, vel non magis inquinarem: sed ipsorum, apud quos historiam inuenissem; & nomina ederem, & verba redderem. Non est quidem isto modo stylus vniusmodi & equabilis: sed ad narrationis veritatem, & rerum, que narrantur, examen multo videtur ea ratio accommodatior. Harum enim momenta quomodo expendantur, nisi qui & quales, a quibus ille manant, fontes cognoscantur? Eadem oratio longe aliam cum a prestantibus viris, alia cum ab obscuris ac vilibus hominibus profertur, vim habet, prout olim quidem dixit Euripides. d Laudo equidem & suspicio elegantem ac floridum scribendi nitorem in ijs, qui eum afferrunt: mihi tamen qualis qualis oratio si vera, grata est; ornatisima vero & cultisima, si falsa, displicet, Atebat apud Tullium e C. Lucilius, se nec doctissimis, nec indoctissimis scribere. omnibus ego cum Apostolo f velim fieri oia: sed ita dumtaxat, ut ad quorundam palatum quaedam, ad aliorum, alia sint. Omnibus in omnibus, nemo vnus adhuc placuit: ne Theognideus quidem ille, qui, ut ab alio dictum, g

d in He-  
cuba.

e Lib. 2.  
de Orat.

f 1. Cor.  
9.

g Theoc.  
in Bat.

(;) 4 Nunc

DEDICATIO.

Nunc pluit, & claro nunc Iup-  
piter æthere fulget.

Porro eiusmodi cognitio vindicat ab  
oblutione magnos illos, summosq; viros, qui  
secundum DEVM, maximorum plurimo-  
rumq; honorum nobis auctores & conser-  
uatores fuere. Attendite, inquit apud Pro-  
phetam h Dominus, ad petram vnde ex-  
cisi estis, & ad cauernam laci, de qua  
præcisi estis. *Quanam* verò, è quâ excisi  
Iudei petra? *Quæ* laci, è quâ præcisi, cauer-  
na? Exponere dignatus est idem Dominus  
verbis, quæ adherent proximè. Attendi-  
te, inquit, ad Abraham Patrem vestrû,  
& Saram, quæ peperit vos. Verè multa-  
rum gentium pater, verusq; Nobis Abra-  
ham est S. BENEDICTVS, qui tot spiri-  
tuales filios peperit, enutriuit, & sacris in-  
stitutionibus erudiuit, quot ex eiusdem Pa-  
tris sanctissimo Ordine in Apothecis in rela-  
ti, & sanctorum catalogo sunt ascripti; ex  
quibus nò pauci plurimarum regionum po-  
pulos peragrauerunt; & vel ad CHRIS-  
TVM recens traduxerunt, vel iam olim  
iraductos in eo confirmauerunt & perpoli-  
uerunt: alij etiã eius fidem sanguine suo  
consignauerunt. Verè

h Isa. 51.

DEDICATIO.

Verè itaq; Domina & Princeps, veraq;  
Nobis Sara est numerosa illa tot Sanctorû,  
vt primùm diximus, & infra suo loco dice-  
tur, multitudo, quibus tam magna, felix,  
& immarcesibilis, aternùmq; virens ac  
fragrans apud Deum & homines reposita  
est CORONA.

Verè Petra, è quâ, sacris doctrina &  
institutionis manibus, ac malleis excisi BE-  
NEDICTINI sunt, est S. BENEDI-  
CTVS, qui per discipulos, filios, imitatoresq;  
suos S. MAVRVM, S. PLACIDVM,  
& alios, tot filios CHRISTO IESV pepe-  
rit, sanctissimam Religionem fundauit, ac  
propagauit. Verè laci cauerna, è quâ sacris  
beatissima doctrina lignib; effosita ac præci-  
si Benedictini sunt, MONS CASINVS,  
imò ipsa eiusdem S. P. BENEDICTI  
Regula est, quæ insignes in tot regiones fi-  
dei Magistros ablegauit, diuinam sanctæ  
regularis institutionis normam tradidit,  
tot Pontifices, Cardinales, Archiepiscopos,  
Episcopos, Abbates creauit, summâq; pote-  
state ac dignitate ad hæc usq; nostra tēpora  
ornauit & amplificauit. Valet verò hæc ad  
Abrahamos & Sargas nostras, ad petras &  
(:) < cauer-



## DEDICATIO.

cauernas nostras attentio diligensſſy, conſideratio, & ad ipſius DEI Opt. Max. & ad Sanctorum eius gratiſſimam, debitiſſimamq; memoriam, laudem & gloriã. Meminiſſe, aiebat apud Platonem Phædo, i Socratis, ſiue ipſe loquar, ſiue loquentes alios audiam, mihi ſemper omniũ eſt dulciſſimum. Ad Chriſtiane verò ſanctitatis, ac perfectiſſimæ viuendi normæ doctorem, propagatorem, & Confefſorem ſanctiſſimum quis & quid Socrates? Refert Auunculum ſuum Plinium ſecundum Cæcilius Plinius<sup>s</sup> ſomnio monitum, bella, quæ cum Germanis geſſere Romani, libris viginti collegiſſe. Altitit enim, ait, ei quicquid Drufi Neronis effigies, qui Germaniæ latiſſimè victor, ibi periit. Commendabat memoriam ſuam, orabatq; vt ſe ab iniuriã obliuioniſ aſſereret. Nos verò non ſomnium, non inane ludibrij nocturni ſpectrum, vt Druſi; ſed reſtatio, ſanctiſſimus Prophetæ. & per hũc ipſum Prophetam Dominus admonet, vt eorum, quos multo quàm Druſum maiores, non in Germania ſolum, ſed vniuerſo benè Chriſtiano orbe laurea, triumphiq; nobilitat; me-

i In Phædone.

i Epist. ad Marcum.

## DEDICATIO.

meritimus, in eos intueamur, ad eos mentem, animumq; prout paulo antè didimus; aduertamus. Abſit nos ſuperet Plinius; abſit adeo ſomniculoſi deſideſq; ſimus, vt il- lum quidem ſomniantem ad magnam operoſamq; ſcriptionem nocturna exſuscitet effigies; nos prudentes ac vigilantes maximo- rum à Diuis illis acceptorum memoria beneficiorum illuſtriſſima, quam à ſummo Rege conſecuti iam ſunt, gloria & dignitas, Regis ipſius veriſſima, grauiſſimaq; adhortatio non ad ſacillimam incundiſſimamq; illorum recordationem exiſtimulet! Ex eã porrò recordatione in nobis exiſtit ſanctus ſanctiſſimæ illius viuendi norma, quæ illi nos olim præceſſerunt, & verbo ſcriptoq; docuerunt; amor ac ſtudium. His porrò bonorum ſanctorumq; in iſdem ſanctis morũ imitatio, contrariorumq; deteſtatio & fuga innitur. Hoc, ait hiſtoricorum apud Latinos princeps, <sup>1</sup> eſt præcipuè in cognitione rerum ſalubre ac frugiferũ, omnis te exempli documenta in illuſtri poſita monumento intueri: inde tibi, tuæq; Reipub. quod imitère capi- as: indæ factum incæptu, factum exi-

1 Linius lib. 1.

## DEDICATIO.

tu quod vites. *Vt verò & eorum retinere feruorem, & vitæ ingredi vestigia commodius constantiusq; possimus, ad eorum operam ac preces rogandas accenditur hinc animus.* Non sanè parùm fructuosa, inquit S. Bernardus, <sup>m</sup> inuenitur memoria festiua sanctorum, languorem, teporem, erroremq; depellens, cùm eorum intercessione iuuetur infirmitas nostra, cõsideratione beatitudinis excitetur negligentia nostra: ignorantia quoq; nostra ipsorum erudiatur exemplis.

*Hiscæ de causis ego de veteri Ordinis nostri splendore, ac pietate maiorum, sæpe numero apud me serio cogitans, cùm tam multa ignorari à plurimis, aut etiam oblivionis vndis spontè dari cernerem; audebo dicere, intimo quodam animi sensu permotus sum: meq; exinde recordatione præteriti temporis excitare, & eiusdem pristini feruoris calore quodam abdito accendere sustinui; si qua fortè scintilla erumperet, & ignem hunc, qui in seniorum & antecessorum nostrorum pectoribus implicatus mirabiliter exarsit, ppitio numine resuscitaret.*

*Istâ quidem animo agitabam; & aurè*

*mibi*

## DEDICATIO.

*mibi vellebat, nō solida cogitatio, vt id ab æquis sperare, apud iniquos etiam conari auderem. Et si non ijs me ceruicibus esse rebar, vt in hac perenni religionis occupatione, imò in hac temporum & iudiciorum iniquitate, æquè omnibus laborum hunc approbare possem meum.*

*Ergò vel secundarum partium operam imponi mihi passus sum, vt qui historiam diffusam haud possem, antiquitatum quædam condimenta historia permixta darem.*

*In eo toto quidquid est operæ positum, aut laboris impensum, id omne nomini Tuo Amplissimo REVERENDISSIME ARCHIMANDRITA nuncupandum esse censui, multis de causis, quas hic enarrare nihil attinet.*

*Ego sanè, cùm Te numquam essem allocutus, numquam vidissem, tamen aliquos ab hinc annis ( tanta vis est etiã apud alienos ignotosq; homines vera solidæq; virtutis ) cum egregios viros, qui Te non de facie solum, verum etiam è sermone familiariq; consuetudine optimè nouerant, omnia de Te summa prædicantes audirem, studio Tui sum incensus incredibili. nec meam deinde obser-*

DEDICATIO.

obseruantiam dies exstingit, aut imminuit, sed auxit potius, ad summumq; perduxit. Exinde ergo nihil habui antiquius, nihil expectaui magis, aut obseruaui, diligentius, quam ut hec ad Te amandum, colendumq; animi mei propensio aliquo Tibi non vulgari pateret officio. Ad id mouebar Tuis prestantissimis actionibus, hominumq; constanti sermone, omnia, ut dixi, de Te summa predicantium, & vna voce contestantium Te aliquoties Legatum Cesareum ad magnos etiam Principes extitisse, atq; ea pietatis sapientie, fortitudinis, liberalitatis, comitatis, doctrine etiam & ingenij laude, non solum legationis verum etiam toto regiminis Abbatialis tempore floruisse, ut vna esset omnium vox, ad ea negocia tot periculis obnoxia, totq; difficultatibus implicata nullum a S. Cesareâ Maiestate mitri hominem aptiorem, aut constitui potuisse Abbatem prudentiorem.


Hec ego cum audirem, incitabar studio mea Tibi singularis erga Te obseruantia declaranda; quod nunc reipsâ ostendere conor, dum opus hoc industria nostrae, approbante Deo, quo nihil abnuente perficitur, cum Tui nomi-

DEDICATIO.

nomini inscriptione diuulgo. In quo colligendo quantum opera, studijq; posuerim, mihi ipse sum testis; quantum autem profecerim, & Tu, & alij iudicabunt. Tibi quidem, si consequar, ut nostra diligentia probetur, sane meos labores, non exiguo compensatos esse fructu existimabo.


DEVS Opt. Max. Ecclesie sue illis in locis & syluescenti & laboranti Te multos annos sospitet, & incolumem tueatur, omninq; bonorū genere magis ac magis augeat.

Augustae Vindelicorum, & Canobis nostro SS. V DALRICI & AFR. & Cal. Sept. A. G. M. DC. XXI.



S. BENEDICTVS PATRIARCHA MONACHORVM.

*Hic Monachorum disciplinam in Occidente penè collapsam restituit, ac mensura propagauit, nam eximie apud Sublacum XII. Monasterio, mox ab illi, cuius regulari Monachorum, quam secum sibi attulisset, monastica circumscriptione populo clariorum. Anno XII. Kai. I. post. ac post. anni. 1253.*



CAP. I.

DE S. P. N. BENEDICTO, EIVSDEMQUE ORDINIS FVNDATIONE

& prærogatiuis.



BENEDICTVS

S. Benedicti  
Stigenus  
& patriæ.

Nursiæ nobili genere ortus. Patre Eupropio matre, Abundantiâ eodem partu cum sorore S. Scholasticâ editus, anno Christi CDLXXX. Simplicij Papæ XIII. Zenonis Imp. VII. Odoâcris Ariani Italiæ Regis V. Basilio Iun. Coss. Romæ liberalibus disciplinis eruditus, vt totum se IESV CHRISTO daret, ad eum locum, qui Sublacus dicitur, in altissimam speluncam penetrauit, anno ætatis suæ quarto decimo,

A

cimo,

Degit in  
eremo.

Vincit li-  
bidinem.

Vitrum  
venena-  
tum cru-  
cis signo  
frangit

12. Mo-  
nasteria  
construit.

Cassinum  
venit.

Futura  
prædicat.

cimo, Christi CDXCIV. In quâ sic per tri-  
ennium delituit, vt vnus id sciret Romanus  
monachus, quo ad vitæ necessitatem mini-  
stro vtebatur. Dum igitur ei quodam die,  
ardentes ad libidinem faces à Diabolo subij-  
cerentur, se in vepribus tamdiu volutauit,  
dum lacerato corpore, voluptatis sensus  
dolore opprimeretur. Sed iam erumpente  
ex illis latebris famâ eius sanctitatis, quidam  
monachi se illi instituendos tradiderunt:  
quorum viuendi licentia eum eius obiurga-  
tiones ferre non posset; venenum in portio-  
ne dare constituunt. Verum poculum ei  
præbentibus, crucis signo vas confregit, ac  
relictio monasterio in solitudinem se rece-  
pit.

Sed cum multi ad eum quotidie discipuli  
conuenirent, duodecim monasteria ædifi-  
cauit, eaq; sanctissimis legibus communi-  
uit. Postea anno Domini DXXVIII. vel  
(vt alij) DXXIX. Cassinum migravit, vbi  
simulacrum Apollinis, qui adhuc ibi cole-  
batur, comminuit, aram euertit, & lucos  
succendit, ibiq; S. Martini sacellum, & S.  
Ioannis ædiculam extruxit: oppidanos au-  
tem, & incolas Christianis præceptis im-  
buit. Quare augebatur in dies magis diui-  
nâ graciâ BENEDICTVS, vt etiam pro-  
pheticis spiritu ventura prædiceret. Quod

vbi

vbi accepit Totila Gothorum rex, explora-  
turus an re ita esset, spatharium suum regio  
ornatu & comitatu præmittit, qui se regem  
simularet. Quem vt ille vidit, depone, in-  
quit, fili, depone quod geris, nam tuum  
non est. Totilæ verò prædixit aduentum  
eius in Urbem, maris transmissionem, &  
post nouem annos mortem.

Aliquot mensibus, antequam è vitâ mi-  
graret, præmonuit discipulos, quo die esset  
morigerus: ac sepulcrum, in quo suum cor-  
pus condi vellet, sex diebus antequam eò  
inferretur, aperiri iussit: sextoq; die deferri  
vult in Ecclesiam: vbi sumptâ Euchari-  
stia sublatis in cælum oculis orans, inter  
manus discipulorum efflauit animam: quam  
duo monachi euntem in cælum viderunt,  
pallio ornatam pretiosissimo, circum eam  
fulgentibus lampadibus, & clarissimâ &  
grauissimâ specie virum stantem supra ca-  
put ipsius dicentem audierunt: Hæc est  
via qua dilectus Domini BENEDI-  
CTVS in cælum ascendit. Migravit à  
sæculo anno ætatis LXII. Christi DXLII.  
vel vt alij DXLIII. Bar. ad DXLIV. super-  
fuisse probat. die XII. Kal. April.

Dictam verò viam S. BERNARDVS  
nil aliud esse ait, quàm vitæ formulam ab

Transit è  
vitâ.

Hom.  
Ecce nos

## DE PROPAGATIONE

reliqui-  
m.

eo institutam, quam ut ille seruans ascen-  
disset in cælum, sic omnes, qui eum seque-  
rentur. *Neg, enim, inquit, venire in dubium  
aliquatenus potest, quin omnino sacer sit mo-  
dus conuersationis, & diuinâ magis inspiratio-  
ne atq; consilio, quàm humanâ prudentiâ vel  
adinuentione formatus: quo nimirum tantam  
in vitâ gratiam sanctitatis, tantam post obitum  
gloriam felicitatis idem BENEDICTVS ob-  
tinuit.* Quamuis enim S. BENEDICTVS  
ea quæ alijs seruandâ præscripsit, ex veterum  
Patrum ac seniorum (quorum plurima tum  
extabant scripto mandata præclarissima vi-  
tæ monastica benè institutæ exempla) ver-  
bis factisq; selegerit & aggregauerit, ut ipse  
clarissimè testatur regulæ cap. 73. & vltimo;  
tamen iure optimo asserere possumus eum  
D. BERNARDO, eiusdem sacram institu-  
tionem ad Spiritus sancti magisterium esse  
referendam: qui vbi magister est, facile &  
secure discitur quod docetur. Id ne cuiquam  
incredibile aut insolens videatur, cogitet  
plures alios sanctitate claros viros, diuinitus  
doctrinam suam assecutos: & inter ceteros  
Angelicum illum Doctorem D. Thomam  
Aquinatem affirmare solitum, se quicquid  
sciret, non tam studio aut labore suo peperisse,  
quàm diuinitus traditum accepisse. Et de mel-  
lificio Doctore S. BERNARDO in literas  
relatum

Probatur  
exemplis.

relatum est, quòd quidquid in scripturis va-  
let, quidquid in eis spiritualiter sentit, maximè  
in syluis & in agris meditando & orando se con-  
fiteretur accepisse, & in hoc nullos se aliquando  
magistros habuisse nisi quercus & fagos, loco illo  
suo gratiose inter amicos dicere solet. Ita etiam  
D. BENEDICTVM à Spiritu sancto fuisse  
edoctum dubitari vix potest; nam quomo-  
do alioqui voluisset, DEVS eum, ad alios  
spirituali doctrinâ imbuendos impellere, &  
virtutum magistrum fieri, ipsiusq; vitam in  
exemplum hominibus demonstrare, ut loquitur  
verè Magnus ille GREGORIUS, nisi  
eum prius ipse instruxisset, & internâ luce  
illustrasset? Ut omittam, quod ablatio illius  
libidinosi incendij, per quam, ut significat  
idem GREGORIUS, aptus est redditus  
ad aliorum regimen & instructionem, id  
quod asserimus, satis demonstret.

Sanè à lege non constringitur sancti Spi-  
ritus donum. Vfus quidem recta conuersationis  
est, ut præesse non audeat, qui subesse non didi-  
cerit: Nec obedienciam subiectis imperet, quam  
Prelatis non nouit exhibere. Sed tamen sunt  
nonnulli, qui ita per magisterium Spiritus in-  
trinsecus docentur, ut etsi eis exterior humani  
magisterij disciplina desit, magisterij intimi  
censura non desit. Quorum tamen libertas vi-  
de ab infirmis in exemplum non est trahenda. ne

b In Vita  
operibus  
eius præ-  
fixâ.Item rat-  
onibus.c Dialog.  
lib. 2. c. 1.  
& a.d S. Greg.  
lib. 1.  
Dial. c. 10.ratis  
omnibus  
et  
et  
et

dum se quisq; similiter sancto Spiritu impletum presumit, discipulus hominis esse despicit, & magister erroris fiat. Mens autem que diuino Spiritu impletur, habet euidentissima signa sua, virtutes scilicet, & humilitatem; quæ se vtraq; perfecte in vnâ mente conueniunt, liquet quod de presentia sancti Spiritus testimonium ferat. Euidentiſſima autem isthæc signa; virtutes scilicet miraculorum, siue etiam bonorum operum & eis coniunctam, humilitatem, in vnâ mente S. BENEDICTI conuenisse satis testatum reliquit sæpè dictus S. GREGORIUS toto libro 2. Dialogorum.

Scriptis itaq; S. BENEDICTVS Regulam, quæ adhuc extat & viget tantâ sapientiâ, vt in eius laudem, verè eam GREGORIUS dixerit, & discretione præcipuam, sermone luculentam; Eamq; non tantum suis discipulis & fratribus, quos congregauerat in Sublacensi illâ solitudine, & monte Cassino; verùm etiam multis millibus Monachorum (vt postea demonstrabitur) in varijs prouincijs degentibus, in quas per discipulos suos varias colonias deduxit, obseruandam tradidit. Fundauit autem ordinem suum eo tempore (quâ in re summa DEI in consulendo suæ Ecclesiæ innotuit prouidentia) quo Italia, Gallia, Hispania, atque Africa

Laus Regulæ S. Benedicti.  
e Lib. 2. dial. cap. 36.

Ordinis fundatio

Lege Baron An. mal. tom.

Africa à Gothis, & Vuandalis hæreticis Africanis possidebantur, Oriensq; penè totus esset infectus hæreticis: in tam terrâ noctis obscuritate, densâq; caligine eiusmodi claritudo lucis effulsit, sanctus videlicet BENEDICTVS, quâ vniuersus Catholicus orbis illustraretur.

Vt verò S. BENEDICTVS ordinem à se fundatum, & regularem obseruantiam propagaret, & vbiq; extenderet, diuina reuelatione admonitum, fuisse possumus intelligere ex prologo vitæ S. MAURI, in quo refert B. FAVSTVS, DEVM, cum destructionem monasterij Callinensis (de qua S. GREGORIUS) D. BENEDICTO reuelasset, eidem etiam prædixisse, locum eundem in pristinam & ampliorem etiam dignitatem restituendum, alijsq; nationibus lucem eius religionis præbendam esse: ac præterea eidem D. BENEDICTO iussisse, vt confestum, atq; super eo negotio expeteretur, ad amplificandum ordinem destinaret, quos in congregatione suâ haberet, probatissimos: eo verò diuino responso illum redditum certiore, mox misisse MAVRVM in Gallias.

Accessit aliud oraculum sanè celeberrimum, quod diuinitus ad S. BENEDICTVM

Eiusdem propagatio ex diuina reuelatione.

f. 2. Dial. 17.

Refert  
Arnol.  
V'ion.  
Ligns Vi-  
ta lib. 1.  
c. 1.  
Item præ  
rogatiua.

CTVM factum fuisse perhibetur, ex moni-  
mentis Monasterij infulæ Lirinensis. §

I. Quòd ordo suus uidelicet, usque in  
finem mundi stabit.

II. Quòd in eius fine, pro Ecclesiâ Ro-  
manâ stabit fidelissimè, & plurimos in fide  
confortabit.

III. Quòd nullus in eo morietur, nisi in  
statu salutis. Et si malè incipiet viuere, &  
non desistet, vel confunderetur, vel ab ordine  
eicietur, vel per se egredietur.

IV. Quòd omnis qui Ordinem suum per-  
sequetur, nisi respiscat, vita sibi abbreviabi-  
tur, vel malâ morte morietur.

V. Quòd omnes qui Ordinem suum di-  
ligent, bonum finem habebunt.

Ne verò hoc Oraculum cuiquam inso-  
lens aut incredibile videatur, cogitet simile,  
& geminum omninò quid de S. FRANCIS-  
CO legi<sup>b</sup> quod propterea huc adscribere  
non pigebit.

Refert Dominus GREGORIUS Papa  
IX. se audiuisse à B. FRANCISCO, dum vi-  
ueret, ipsum sanctum à Domino DEO tria  
Priuilegia obtinuisse.

1. Quòd quantò plures Fratres essent in  
Ordine, & eorum numerus augetetur, tan-  
tò abundantius eis prouideretur.

2. Quòd nullus in habitu posset malè mo-

h Ex lib.  
Reg 8  
Francisci  
Capuccin.  
Simile de  
S. Fran-  
cisco.

ri; intellige sanè, uidelicet dummodò vita sit  
conformis habitui, quoad Fratres; & deuo-  
tio recta & compuncta quoad seculares.

3. Quòd quisquis Ordinem suum perse-  
queretur, grauius à Domino puniretur, &  
dies suos in breui & malè finiret.

Item dicit B. FRANCISCVS tria in-  
ter alia se habuisse priuilegia à Seraph, sibi in  
monte Aluerniæ apparente, tempore sti-  
gmatizationis suæ.

1. Quòd professio Fratrum suorum, siue  
ordo suus durabit vsq; in diem Iudicij.

2. Quòd nullus volens in Ordine malè  
viuere, poterit ibi diu perseuerare.

3. Quòd quicumq; ex corde diligeret Or-  
dinem suum ( quantumcumq; sit peccator )  
misericordiam à Domino consequetur pæ-  
nitendo. Hæc ibi. De præstantia verò no-  
stri Ordinis, iuuat subiicere, quæ HILDE-  
GARDIS insigni sanctitate Virgo, simul &  
vates diuino afflata spiritu fundebat, ita e-  
nim inquit; *Prima lux diei fidelis verba*

*Apostolica doctrine designat; aurora initium*  
*huius conuersationis, quæ primum in solitudi-*  
*ne, & inspeluncis post illam beatam doctrinam*  
*germinauit, demonstrat; Sol autem discretam*  
*& benè dispositam viam in seruo meo BENE-*  
*DICTO declarat, quem ego per ardentem ignem*  
*traduxi, docens eum in vestitu conuersationis*

i Lib. 2  
Visione 5.



& Benedi-  
dictus al-  
ter Moyses.

suæ incarnationem Filij mei colere, & in abn-  
gatione voluntatis suæ passionem illius imitari;  
quia ipse BENEDICTVS est, quasi aliter  
MOSES in lapideo foramine iacens, & cor-  
pus suum in multa asperitate ob amorem vitæ  
crucians & constringens; quemadmodum et-  
iam primus MOSES in lapideis tabulis ex  
præcepto meo, asperam & duram legem scri-  
bens, Indæis dedit; sed ut filius meus eandem  
legem per dulcedinem Euangely perforauit; sic  
etiam BENEDICTVS famulus meus pro-  
positum huius ordinis, quod ante ipsum diuer-  
sissima conuersatio fuit, per dulcedinem inspi-  
rationis Spiritus sancti discretam & planam  
viam fecit: ac per hoc plurimam cohortem suæ  
Religionis collegit; ut etiam Filius meus per  
suauitatem odoris sui Christianorum populum  
sibi coadunauit. In explicatione etiam Re-  
gulæ eiusdem S. BENEDICTI suæ huius  
sententiæ non immemor, HILDEGARDIS ait: Ante tempora beati Patris huius  
BENEDICTI nulla certa Regula confirmati  
monachi, diuersa incertitudine, & instabilitate,  
hac & illac vagabantur, certo magisterio &  
certa locutione carentes. Quapropter ipse vitia  
instabilitatis morum illorum describens, ut vi-  
tia eorum à fidelibus Monachis deueniret man-  
ner. Hæc S. HILDEGARDIS, cuius scri-  
pta diuino dictante spiritu, cum literarum  
ignara

ignara esset, EVGENIVS III. Papa k (a-  
gente S. BERNARDO Abbate Clareual-  
lenfi) Anno Christi MCXLVIII in Con-  
cilio Treurenfi, Apostolica auctoritate,  
approbauit; nomenq; præclarum in Ro-  
mano sanctorum Martyrologio & gloriose  
conscriptum, Ecclesia Catholica veneratur.  
Sed & centum ferè ante, HILDEGAR-  
DEM annis, GOFFRIDVS Vindecinen-  
sis Abbas, S. R. E. Cardinalis, sic item locu-  
tus est: m Fuerunt namq; ante S. BENE-  
DICTVM Abbates, & Abbatum Institutio-  
nes, sicut ante CHRISTVM Legislator. existi-  
tut Moyses. Bonam siquidem & sanctam Iu-  
daico populo Moyses attulit Legem, sed CHRIS-  
TVS Christiano populo contulit meliorem.  
Ita SS. Viri illius temporis secundam datam,  
sibi à DEO gratiam, Monachorum Leges  
statuerunt; sed Pater ac Legislator postea BE-  
NEDICTVS, sicut à DEO maiorem gratiam  
percepit, ita meliorem Legem instituit.  
Nam quidquid illi minus, vel amplius facien-  
dum prædixerunt, vel fieri permiserunt, ipse  
post illos correxit. Et ne plures commemo-  
rem, agmen hoc claudat Honorius Augu-  
stodunensis ita scribens: n BENEDI-  
CTVS Abbas Monasterij Casinensis scripsit  
Regulam monachorum, per totum mundum  
promulgatam. Id ipsum veritate constare,  
nos

k Theo-  
dor Abb.  
Vit. S.  
Hildeg.  
lib. 1. c. 2.  
ap. Sur.  
tom 5.  
l. 15. Col.  
Octob.

m Ser. de  
S. Bened.

n De illa  
Ar. Eccles.  
scripta.

Propo-  
tio argu-  
menti.

nos toto hoc syntagmate illustrioribus quibusdam historiis illustrabimus. Sed prius de perfectione & eminentia Regulæ & Religionis S. BENEDICTI quædam præfabimur, quæ non volumus intelligi strictè de nostro seculo, & mitigatione rigoris (quandoquidem Monachi iam multas consequuti sunt dispensationes, tam circa ieiunia Regularia, quam abstinenciam carnis & alias austeritates) sed de primaria institutione, & strictissima SS. PP. nostrorum obseruatione, citra vilius tamen offensionem, aut saltem minimam derogationem.



CAP.



CAP. II.

DE PERFECTIONE AC  
EMINENTIA RE-  
GVLÆ ET RELI-  
gionis Benedicti-  
næ.



DE ò vnicuique pulchrum, ac excellens suum institutum videtur, vt omnibus alijs præferendum meritò censeat. In quo, de propria facultate & instituto, à nobis lato iudicio nescio quid proprietatis ac philantia latet: nam, dum de professione propria, quis gloriatur, in sui laudem ac commendationem, suæ artis gloriam retorquet.

Idem quoque in suscipiendis religiosæ vitæ institutis plerumq; accidere videmus, vt quisque quod sibi magis accommodatum videtur, id solum vt præstantissimum iactet cetera

cetera



Vna Reli-  
gio alia  
perfe-  
ctior.

cetera verò pro nihilo ducatur. Ex quo variæ sunt inter Religiones exortæ quæstiones, & controuersia magnæ de excellentia, ac perfectione vniuscuiusq; regulæ seu instituti: ita, vt ferè nulla sit, quæ alijs etiam perfectissimis palmam concedere velit: cum tamen ferè & absq; vlla dubitatione, multæ sint alijs digniores, ac perfectiores. Perfectio autem religiosi status consideratur tam ex Regula, quam ex alijs Religionis statutis, sine, & exercitijs. In hac verò dubitatione nostræ intentionis non est, sanctissimis aliarum Religionum institutis quicquam derogare, sed tantum nostræ Regulæ, ac Instituti perfectionem eius athleticis, ac professoribus ostendere: vt sic ad brauium suæ vocationis alacrius, ac velocius ab omnibus expediti currant, eiq; tenacius inhæreant, non vt de altissimâ professione gloriantur, sed vt cum timore, & tremore suam salutem operantes, potius reddendam Deo rationem pertimescant.

Primò ergò notandum, quod excellentia vnius Religionis supra aliam potest attendi tripliciter, vt ex D. Thomâ *con- stat.* Vno modo ex parte finis: & sic illa dicitur perfectior Religio, quæ ordinatur ad perfectiorem finem. Secundò attenditur excellentia vnius Religionis ad aliam, se- cundum

¶ 3. §. 9.  
¶ 88. artic.  
1. & 6.

Ex quibus  
conside-  
retur per-

cundum quod in eodem genere finis vna ordinatur ad altiorem actum, quam altera: vt inter Religiones, quæ ordinantur ad contemplatiuam vitam, perfectior erit illa, quæ ad contemplandum, quam ea, quæ ad legendum ordinatur &c. Tertiò iudicatur de præminentia vnius Religionis ad aliam, ex parte exercitijs, non quidem quantum ad quantitatem, sed quantum ad proportionem eius ad finem intentum. Hæc sunt, quæ ex doctrinâ D. Thomæ communiter obseruant Theologi, qui perfectionem omnem ex fine particulari, & medijs, siue exercitijs ad illum assequendum proportionatis, desumendam esse decernunt.

Vt ergò nostræ Regulæ, ac Religionis arctitudo, ac perfectio luculentius pateat, cum primis videndum est, quam ad metam, nostræ Regulæ siue instituti cursus dirigatur. Omnis igitur monastica disciplina duplici sine gaudere solet. Primus finis est ille omnium Christianorum, omniumq; ordinum communissimus, nempe charitas, siue gloria DEI. Alter verò proprius est, qui telos, siue finis proximus appellari consuevit. Qui quidem finis, si cum illo superiori conferatur, medium potius ad illum perueniendi existimari potest.

Primò itaq; statuendum est, proximum,

B

&amp; po-

fectio alti-  
cuius Re-  
ligionis.

Ad quem  
finem di-  
rigatur  
Religio S.  
Benedi-  
cti.

& potissimum nostræ Religionis finem esse, *Contemplationi vacare.* Quod & fuisse olim monachorum omnium primæuam institutionem constat ex his, quæ Cassianus luculenter docet: *b Omnis, inquit, monachi finis, cordisq; perfectio ad iugem, atq; indurptū orationis perseverantiam tendit: & quantum humana fragilitati conceditur, ad immobilem tranquillitatem mentis, ac perpetuam nititur puritatem.* Ob quam omnem, tam laborem corporis, quàm contritionem spiritus indefessè quarimus, & iugiter exercemus: & est inter alterutrum reciproca quadam, inseparabilissq; coniunctio. Ut verò propositam veritatem efficaciter comprobemus, sit primum & nõ leue argumentum, quia nostræ Religionis dux, & auctor BENEDECTVS totum ferè vitæ suæ tempus in Contemplatione, oratione, & sacra lectione consumpsit. Sic enim de eo, & primarijs eius discipulis SS. MAURO & PLACIDO in vitarum historijs refertur, quos secuti posterius ad omnia exercitia religiosorum etiam profana, atq; ipsam tonsuram, coquinam & huiusmodi, ne locus esset vaniloquio, certum numerum Psalmodum & alias preces accomodatas ordinarunt, vt videre est in Constitutionibus Cluniacensibus, præcipuè illis, quas necdum in lucem editas puto (nam in Biblio-

theca

theca Cluniacensi non reperiuntur) & vita S. Odonis. Idem ex varijs locis Regulæ patet.

Secundò, quia nostræ Regulæ aliquem finem, & scopum habere debet: & tamen non habet pro fine vitam merè actiuam (vt constat) neq; mixtam ex contemplatione & actione, nempe, curâ proximorum: nam nullum nec minimum de hac actione in Regulâ verbum fit. Habet ergò pro scopo potissimo vitam contemplatiuam, hic enim verus est finis, qui in Regulâ exprimitur, & ab eâ potissimum intenditur.

Tertiò & efficacissimè probatur. Nam ille quidem est verus Religionis finis, ad quæ cetera religionis exercitia respiciunt, & diriguntur: sed omnia Regulæ exercitia ad orationem præcipuè destinantur: hæc igitur finis erit. Maior huius argumentationis certa est ex ipsa natura finis. Minor verò probanda est, per singula Regulæ mandata, & exercitia discurrendo. Et (vt à principaliori incipiam) cellæ stabilis custodia, & monasterij clausura, qua non solum monachi foris vagari prohibentur, e verum etiam ne frater ad fratrem iungatur horis incompetentibus seriò interdicatur, & ad hunc finem præcipuè destinatur, & à Regulâ in id ipsum eligitur, vt commodius diuinis meditationi-

B 2

bus

r. Contemplationi vacare.

b Collat. 9. cap. 1.

Probatur.

c Reg. a. 60.  
d Reg. e. 48.

bus & orationibus vacare sine alterius of-  
fendiculo possimus.

Et insuper ad huius medij firmitatem,  
& consistentiam aliud quoq; medium à Re-  
gulà excogitatur, nempe, labor manuum, \*  
qui ob id tantoperè nobis commendatur, vt  
infra cellam occupati, manus in opere &  
mentem in Deo fixam teneamus, & vtriq;  
studium pariter impendamus. Nam, vt  
optimè Cassianus, *f* ob has duas causas in-  
ter alias, labor manuum exterior ab Ægyptijs  
monachis exercebatur. Primò, ne ab eis oij  
tempus admitteretur. Secundò, ne medi-  
tationi spiritali finis imponeretur, *vt sic*  
(ait) *pariter exercentes corporis, animaq;*  
*virtutes, exterioris hominis stipendiatum emol-*  
*umentis interioris exequantur: & sic lubricis*  
*motibus cordis, & fluctuationi cogitationum,*  
*instabili, operum pondere, velut quandam*  
*senacem, atq; immobilem anchoram, præfigen-*  
*tes: cui volubilitas ac peruagatio cordis in-*  
*nexa, intra cellæ claustra, veluti in portu fidis-*  
*simo, valeat contineri: atq; ita spiritali me-*  
*ditationi, & custodiæ cogitationum intenta, ab*  
*omni superflua, & otiosa cogitatione, se custodi-*  
*at: ita vt quid ex quo pendeat, haud facile pos-*  
*sit à quoquam discerni, id est, virum propter*  
*meditationem spiritali manuum opus exer-*  
*ceant: an propter operis iugitatem tam præ-*  
*clarum*

Labet  
manu n  
quare in-  
stitutus  
e Reg. c.  
48. 50 & c.

f Infit.  
lib. 10. cap.  
24.

clarum spiritus profectus scientiæq; lumen ac-  
quirant. Hæc Cassianus. Qui ibidem et-  
iam docet, Paulum primum Eremitæ cultor-  
em pro sola purgatione cordis & cogitati-  
onum soliditate, ac cellæ perseuerantia,  
manuum laborem elegisse. Et deniq; idem  
Cassianus, *g* pulchrè (vt solet) docet, *g*  
quantum ad orationem labor manuum cõ-  
ducatur. Idem sentit S. BERNARDVS, dum  
monet, intra cellam manibus aliquid ope-  
randum, ad nutriendum, & conseruandum  
spiritum. Constat igitur ex dictis, tam cellæ  
assiduam commorationem, quàm laboris  
manuum exercitium, ad orationem, & me-  
ditationem à Regulà prudenter ordinari, ac  
præcipi.

Sed vt ad reliqua capita Regulæ de-  
scendentes, idem de cæteris probemus, ad-  
uertendum; quòd postquàm S. P. N. BERNARDVS,  
de instrumentis virtutum,  
quæ sunt à nobis die noctuq; incessabiliter ad-  
implenda, *h* tum de obedientiâ, Taciturnitate  
*k*, & Humilitatis gradibus legisset,  
quæ omnia ad eundem finem sunt media  
conuenientissima: sequitur præcipuum de  
Horis Canonicis, *m* quæ mentem in Deum  
eleuant, & interiorem animæ deuotionem,  
in eius honorem, & laudem excitant. Hæc  
verò non tam media ad orationem, quàm

Lib. 20  
Infit.  
cap. 140

b Reg. cap.  
4 i Cap. 5.  
k 6. 17.

m Cap. 80  
9. 10. 11. 12.  
13. 14. 15.  
16. 17. 18.  
c. 20.

Cap. 33.  
34.  
Quam  
stricta  
pauper-  
tatis ob-  
seruatio.

ipsa oratio dici possunt. Et cum postea ali-  
quas ordinationes fecisset, tradit Caput  
de non habendo proprio; vnde hanc Regu-  
lam Cardinalis à Turrecremata ab eminentia  
Euangelicæ perfectionis commendans  
inquit: *Planè nihil de voluntate propria, nihil  
de corporis proprij potestate, nihil de rerum  
mundanarum possessione, nihil de tempore dere-  
liquit. Equidem perfectionem paupertatis in-  
clusiue deduxit vsq; ad graphium; perfectionem  
obedientie deduxit vsq; ad momentum, cuius  
exuberantissima perfectionis gratia de huius  
perfectissimi & D E O acceptatissimi Patris Re-  
gula dicere merito possumus illud: o Benedictio  
illius quasi fluminis inundauit.*

o Ecclef.  
39e

Reg. c.  
39.  
Ieiunia  
Regula-  
ria.

Et (vt omittam alia Regulæ statuta,  
quæ etiam huic fini deseruiunt) ad præci-  
pua gradum faciam: ad ea nimirum, quæ de  
ieiunio, de carniū abstinentia, & de silen-  
tio loquuntur. Et (vt à ieiunio ꝑ incipiam)  
ad id nos hortatur exemplum antiquorum  
Patriarcharum & Sanctorum Patrum, qui  
ieiunio animam ad orationem, & celestium  
rerum contemplationem disponebant,  
vt Moyses, Elias, Daniel &c. Sic passim  
sancti Patres apertissime clamant; inter  
quos aureum eloquentiæ flumen Chryso-  
stomus: *9 Ieiunium est anima nostre alimen-  
tum, leues ei pennas producis, vt in sublime fe-  
ratur,*

Homil.  
1. in Ge-  
nos.

*ratur, & summa contemplari queat.* De  
carniū verò abstinentia illud est certum,  
maximè conducere ad corporis, & passio-  
num eiusdem mortificationem. Nam cum  
carnes sint quasi quoddam seminarium libi-  
dinis (carniū enim alimenta materiam,  
generationis magis augent, & sic difficilius  
appetitus sub ratione cōprimitur: his enim  
cibus caro impinguatur, & appetitus robo-  
ratur, ac proinde maior contra spiritum,  
pugna insurgit) passiones pacatiores red-  
duntur per earum carentiam. Iis autem se-  
datis, animus promptior est ad diuina spe-  
culanda. Quare hæc carniū abstinentia à  
regulâ commendatur, & quasi remouens  
prohibens mortificationem passionum, ac  
proinde inducens mentis eleuationem in-  
DEVM.

Carniū  
abstinen-  
tia.

Ita D.  
Hser. lib.  
2. adu.  
Iouia.  
S. Basil in  
Hexa: 1.  
homil. 11.

r Cap. 30.  
39.

Deniq; de silentio non est, qui ignoret,  
quàm fidus sit orationis comes: & ob eam  
causam tantoperè à Patribus, & à nostra Re-  
gula commendatur, & non vt quicq; vel  
simplici præcepto, sicut & alia; sed pluri-  
bus verbis, & varijs Scripturæ authoritati-  
bus persuadetur, & præcipitur.

Silentium  
strictissi-  
mè obsec-  
uandum.  
f Cap. 64  
42.

Quartò, & vltimò, orationem, ac me-  
ditationem finem esse Regulæ, non leuis  
coniectura suadet. Nam sicut finis est id,  
quod primò intendimus, & quod in animo

ante omnia alia præfigitur, ad cuius postea consequutionem reliqua destinantur: ita regula inter eas constitutiones, quæ ad subditorum directionem spectant, primò loco telos, siue scopum ante oculos obijcit, vt ad illum reliqua, quæ in Regula continentur, ordinemus.

Hoc itaq; in mente sine proposito, omnes actus nostri ad eius consequutionem dirigendi sunt. Hic nobis principalis debet esse conatus. Hæc immobilis destinatio cordibus nostris firmanda est, vt diuinis rebus, ac Deo mens semper inhæreat. Pro hoc fine cellæ solitudo, clausura & stabilitas festanda est; ieiunia, vigiliæ, silentium, carnis abstinencia, & reliquæ asperitates suscipiendæ sunt. Et denique quidquid ab hoc diuersum est, quamuis aliàs magnum videatur, importunum tamen, aut etiam infirmum, seu noxium iudicandum est.

Paterigitur ex dictis, post orationem, & meditationem, in nostra Regula & professione secundum locum obtinere vitæ asperitatem: in quâ etiam potissima pars est, cellæ, siue monasterij clausura. Ita, ad hæc duo, nempe ad vitæ asperitatem, & clausuram, veluti ad duos orationis pedes, & firmissimas nostri instituti columnas cetera reducuntur. Quare Studiosus quisq;

nostræ

nostræ professionis sectator, post orationem, & sacram lectionem, colat pænitentiam, siue vitæ asperitatem, & clausuram.

Et quoniam Canonistæ, non ponderatis subtilitatibus his Theologicis non à fine, sed ab exercitijs potiùs, Religionis perfectionem iudicant. In quo solum considerare solent, in quâ Religione sit arctior, strictior, durior, vel fortior viuendi modus: solumq; attendunt in omnibus communissimum charitatis finem, non inspectis alijs particularibus, sed tantum districtiorem viuendi rationem. Quibus fauet Innocentius Papa in c. licet, de Reg. vbi sanctior vitæ dicitur arctior; Idcirco etiam hæc consideratione nostra Regula inter quatuor approbatas est perfectissima, cum inter omnes sit strictissima. Probat. Quia habet continuam Monasterij clausuram, rarissimam exeundi licentiam, simul cum assidua, & iugi oratione, meditatione & sacra lectione. Deinde bina per hebdomadam à festo Pentecostes, & ab Exaltatione S. CRUCIS vsq; ad Dominicam Resurrectionis continua prolongata ieiunia. Quæ omnia (imò nec singula) apud vllam aliam Religionis Regulam præscripta inueniuntur. Quibus si addas paupertatem in particulari, vsq; ad acum adstrictam, à carnibus ( nisi pro infirmitati-

Regulam S. Benedicti esse strictissimam probatur.

B 5

bus)

bus) abstinentiam, manuum labores, ac ita arctum silentium, ut nulla Regula ei æquale proponatur: proculdubio hæc regula alijs omnibus seuerior, ac districtior apparebit.

Eremitica  
vita ceteris  
perfectior.

Quandoquidem verò nostra Regula vitæ Eremiticæ institutū non excludit, imò ex ea perfectissimi quique Eremitæ cultores prodierunt (& ipse S. P. N. BENE-  
DICTVS ultra triennium Eremitæ cultor fuit) & adhuc quotidie prodeunt (utpotè Montisserati in Hispania &c.) in quibusdam prouincijs; imò Camaldulenses Eremitæ militant sub Regulâ D. BENE-  
DICTI; nostra Regula, tam secundum Theologorum, quàm Canonitarum sententiam perfectior est quibus-  
cunq; alijs Religionum Regulis. Probatur ex sententia Patrum, & Theologorum. Nam  
ereimiticæ vitæ institutum est culmen, & fastigium Religiosæ vitæ, ac proinde eremitica vita perfectior est omnibus alijs. Testatur id apertè D. Thomas: & nullus est, qui ab hac sententia dissentiat, in quam omnes ferè Patres conueniunt, dum docent non debere quenquam transire ad vitam eremiticam, nisi priùs diligenter in cænobio se exereuerit, propterea quòd hic modus viuendi non adferat perfectionem, sed præsupponat, ut S. Hieronymus \* docet, item Cassianus, \* D. Augustinus, y S. P. N. BENE-  
DICTVS,

f 2 2. 9.  
188. artic.  
8.

Epist. ad  
Rust.  
Collat  
10. c. 3.  
Lib. 1. de

DICTVS, z & D. BERNARDVS, \* & sic eremitica vita est perfectiorum, similis (suo modo) Episcoporum statui. Sicut ergò (ut verbis D. Thomæ utar) id, quod iam perfectum est, præminet ei, quod ad perfectionem exercetur, ita vita solitariorum præminet vitæ sociali. Et hæc est potissima causa, quare Pontifices, omnium aliarum Religionum monachis ad Chartusienses, vel Camaldulenses, qui eremiticam vitam profitentur, transitum permittunt. Imò inter hos duos ordines, quia Camaldulenses vitæ Eremiticæ institutum perfectius exequuntur, utpotè qui singulariter in cellulis separatis degunt, concessum est à Leone Decimo, ut Carthusienses licitè ad Camaldulensium ordinem transire possint.

Solet etiam vna Religio alterâ excellentior ac dignior dici ratione antiquitatis: quoniam, qui prior est tempore, potior est iure, ut patet ex cap. Antiqua de priuileg. & Regul. Qui prior de Regul. iur. in 6. ut tradit Cassianus, b

Præterea excellentia, & præminencia considerantur ex parte instituentium, ita, ut omnes illi, qui à maiori, vel digniori sunt, instituti, præferantur ex parte hæc eis, qui à minùs digno originem habent: ut patet ex capite quia saepe cap. si eum de prob. in 6. ut tradit

moribus  
Eccle. c. 3.  
z Reg. c. 1.  
a Serm 3.  
de Cartho-  
cisf.

Item, ab  
antiqui-  
tate.

b Catal.  
glor. mun.  
4. p. con-  
sid. 52.



dit Cassaneus. Vltimò consideratur, quod vna Religio sit excellentior altera ex approbatione: & ita per illa Religio dignior erit, quæ prius fuerit approbata, vt notatur in *cap. finali de Religiosis domibus*, & hæc tria potius ad dignitatem quàm ad perfectionem substantialem pertinent. Adhuc tamen in his, quæ accidentalia sunt, hæc Religio indignior non est: nam vt de antiquitate dicamus prior omnium in Occidente fuit promulgata & obseruata. Quamuis enim Basilius antiquior fuerit S. BENEICTO, eius Religio tamen se vltra Orientem ferè non extendit, & non nisi in paucissimis locis aliquamdiu obseruata fuit, & introducta in inferiorem partem Italiae, Græcorum Imperatorum ope, longè post S. BENEICTI tempora.

S. Augustinus etiam, quamuis S. P. N. ætate prior fuerit, pro viris tamen regulam nullam scripsit, sed cum suis Apostolicum viuendi in communi morem secutus est, vt patet ex Possidio *cap. 5*. Ex tribus autem regulis (quæ ipsi adscribuntur) *sola tertia est certa S. Augustini, sed feminis data, NON VIRIS habetur enim in epistola 109. vt inquit R. Card. Bellarminus* & longis post seculis viris accommodata. De tota hac controuersia non inutiliter leges, quæ scripsit

Reli-

Religiosissimûs & Doctissimûs D. Simon VVerlinus Can. Reg. Præpositus in Diessen, vir æqui & veriamantissimûs, mihi quæ eo nomine plurimùm honorandus in dissertationuculâ suâ ad Regulam S. Augustini.

De dignitate, & excellentia institutoris (nempe sanctissimi P. N. BENEICTI) tacere potius, quàm loqui par est: De approbatione verò constat, quod non longè ab obitu eiusdem S. P. approbata fuerit à Magnò illo GREGORIO, ex priuilegio Monasterio Sublacensi concessò, vbi Pontifex ita inquit: *Ego GREGORIUS Sanctæ Romane Ecclesie Præsul: scripsi vitam Beati BENEICTI, & legi Regulam, quam ipse Sanctus manu propria scripsit. Laudavi eam: & confirmaui in sancta Synodo: & per diuersas partes Italiae, & vbi cunq; Latina litera legerentur, præcepi vt diligentissimè obseruarentur, quicunq; ad conuersionis gratiam accessuri essent, vsq; in finem mundi. Et confirmo duodecim Monasteria, quæ ipse Sanctus construxit.*

Hæc sunt, quæ de nostrâ Regulâ, ac instituti perfectione ac eminentiâ breuiter inferenda operæ pretium duximus, interim monentes, secundario studendum esse nobis animarum salutî, sine detrimento tamen (quantum fieri potest) principalioris finis, Et (vt clarius loquar,) hac secundâ asser-

tione

Quando approbata Regula S. Benedicti.

Animarum curæ non negligenda.

rione constituo, nostræ religionis institutum mixtum esse contemplatione, & actione, non tamen ex æquo, sed principaliter ex contemplatione, secundariò autem, & minùs principaliter, ex actione. Vnde D. Thomas, *d* Stultam, inquit, esse opinionem dicentium, quod status Religionis impedimentum afferat talia exequendi, & ibidem clarissimè probat, Religiones, quanto sanctiores, eò aptiores, animarum salutem procurandæ: dum dicit: *quia quanto aliquis est sanctior, tanto est aptior predicationi verbi DEI, nisi aliunde prohibeatur; sed predicare, & docere, neq; interdicitur in Regula S. BENEDICTI, neq; in alijs Religionum Regulis, ut determinat Bonifacius Papa in c. nonnulli sunt. 26. quest. 1.*

Hinc tot sanctissimi Ordinis nostri Prælati, tot Sanctorum Monachorum agmina, qui lucrandis animabus insudarunt, nullum diuinorum contemplationi damnum attrulisse dici possunt (vtialibi Deo dante pluribus demonstrabitur) imò de ipso S. P. N. BENEDICTO, in Cassino monte simulacra, quæ adhuc à Gentilibus colebantur, comminuisse, ipsosq; oppidanos Christianis præceptis imbuisse legimus.



## CAP. III.

DE S. PLACIDO  
 PROTO-MARTYRE, ET ORDINIS  
 PER SICILIAM ET  
 Italiam Propagatione.



IN Siciliam, BENEDICTIVM institutum, intulit S. PLACIDVS; qui Romæ, Tertullo patre in primis nobili natus, puer Deo oblatus, & S. BENEDICTO traditus, tantum eius disciplina, & monastica vitæ institutis profecit, vt inter præcipuos illius discipulos numeretur. In solitudine Sublacensi fontem diuinitus impetrati adfuit. Adolescentulus, ad hauriendam aquam egre lus, & in lacum prolapsus, cuiusdem patris imperio per MAVRVM monachum

S. Placidus B. Benedicti discipulus.

chum super aquas, sicco pede, currentem, saluus mirabiliter extractus fuit.

In Sicilia  
am mitt-  
tur.

Deinde S. BENEDICTVS eum in Sicilia cum GORDIANO & DONATO misit A. C. DXXXVI. eiusmodi verbis cohortat<sup>9</sup>:

Ad suscipiendum militiae laborem, dilectissime, accinge sicut vir lumbos tuos, quem per me nunc tibi dat Rex omnium CHRISTVS, qui factus est obediens usque ad mortem. Reminiscere igitur sermones eius dicentis, Non veni facere voluntatem meam, sed eius qui misit me patris. Non te longi itineris conturbet austeritas, recordare illud Apostolicum, quia non sunt condignae passionis huius temporis ad futuram gloriam quae reuelabitur in nobis, & per varias tribulationes oportet nos introire in regnum DEI. Pro CHRISTI namque nomine qui in hac vita decertauerint, in futura aeterna remunerationem accipient, illam scilicet, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quae preparauit

DEVS

DEVS diligentibus se. IESVS CHRISTVS autem Filius Dei semper sit tecum, perducatur te ad vitae aeternae confortium.

In Siciliam ubi peruenit, statim fama, de eo exiit, ob quotidiana penè patrata miracula, quod esset in eadem provincia. PLACIDVS beati BENEDICTI discipulus, qui aegrotantibus manus imponit & sanantur, caecis reddens visum, surdis auditum, claudos erigens, daemones fugans, & omnes infirmitates curans: ex tota Sicilia, nec non etiam de Africa conuenientes, omnes infirmantes in vnum congregauerunt, rogantes, ac per patris BENEDICTI nomen, PLACIDVM attestantes, vt illis sanitatis gratiam impetraret à Domino. Sanctus autem Domini tantis calamitatibus condolens, simul etiam & fidem admirans, orauit sic: Domine IESU CHRISTE, qui magistro meo BENEDICTO dedisti potestatem apud te impetrandi quod vellet, tu per ipsius sanctam intercessionem omnibus languoribus istis salutem conferre dignare, vt sanitate percepta laudem referant nomini tuo sancto.

ibidem  
multa  
miracula  
operatur.

Et dum responsum fuisset Amen, sani effecti sunt, laudantes & glorificantes Deum. Quanta etiam miracula per beatissimum PLACIDVM illis temporibus Dominus IESVS CHRISTVS operari dignatus sit, enarrare ea omnia valde longum esset, & pleraque apud Gordianum legi possunt. Ipse autem postquam Monasterium & Ecclesiam in honorem S. IOANNIS Baptistæ propè Messanæ portum construxit, ea quæ à magistro suo BENEDICTO didicerat, modis omnibus implere satagebat. Refulgebat sanè doctrina pietatis in eo, dilatabaturq; sanctæ conuersationis doctrina agrum ferendo iustitiæ. Vnde factum est, vt per beatum PLACIDVM ac discipulos eius, patris BENEDICTI & Casinensis canonicij veneranda religio per totum orbem terrarum diffusa sit & diffamata. Idem verò sanctus Domini PLACIDVS spiritu sancto repletus, sine intermissione castigabat corpus suum, & in seruitutem omnem redigebat, vt membra quæ sunt super terram mortificaret. Sermo verò eius aliud non erat quàm mundi huius delicias spernere, onera orbis relinquere, vt IESVM CHRISTVM Dei filium liberè sequeretur, memorans illud quod Dominus locutus est, *Nisi quis renunciauerit omnibus quæ possidet, non potest*

Monasterio constructo ordinem propagat.

Eius vita virtuosa.

meus esse discipulus. In sermone autem eius quanta grauitas, quanta modestia erat, enarrare quis valeat? Orationi & lectioni solus quotidie insudabat, ac sæpè & multum cum meditationi inseruiret, lachrymis fluebat. habebat enim spiritum magnæ compunctionis. Non diebus, non noctibus à colloquijs diuinis & psalmodia cessabat, omni tempore quadragesimalem vitam ducens, vinum nunquam bibens. In quadragesimâ Dominico die, tertia & quinta feria, pane tantum & aqua contentus erat, alijs diebus nihil omnino recipiens. Cilicio semper ad carnem vsus est, & cum fatigatus esset ab oratione seu à genusflexione, sedendo potius quàm iacendo somnum capiebat. Nemo illum vnquam aliquandò vidit in aliquo acto commotum, sed semper honestum, humilem, grauem, mansuetum, benignum, nemini nocentem, nemini inuidentem, nemini quod malum est quærentem. erat enim omni hora, gratia Dei plenus.

Nunquam aliquandò alicui hominum locutus est nisi necessitas coëgisset, aut fratrum affectio, seu bonorum hominum vel pauperum, aut cum monasterij necessitas exposceret, semperq; spiritus eius in Deo positus erat. Sed in omnibus virtutibus in quibus cum perfectissimus magister suus

Abstinentia.

BENEDICTVS instruxerat, de die in diem proficiebat atq; crescebat: non æqualem se aliorum ducens, sed vltimorū omnium feruum. Iam verò de eius quid dicam clementia? nil enim menti eius carius fuit, quam potentem pauperi non præponere. Si pauperem videbat, sustinebat: si diuitem, ad benefaciendum hortabatur, illud prædicans Euangelicum: *Qui habet duas tunicas, det non habenti: & qui habet escas, similiter faciat, vt calorū regnū accipere valeat.*

Cæperunt deinde nonnulli mundum relinquere, & sub beati PLACIDI magisterio cordis ceruices edomare. Intrà breue namq; temporis spatium, triginta fratres in eodem loco ad omnipotentis DEI seruitium congregati sunt; quos sub eiusdem S. BENEDICTI regula cum instituisset, sanctitate & miraculis penè quotidianis claruit. Eius igitur visendi causa cum eò venissent Euty chius & Victorinus illius fratres, & Flauia virgo soror, eodem tempore illuc appulit immanis quidam pirata, Manucha nomine: qui capto Monasterio, cum PLACIDVM & ceteros nullo modo adducere potuisset vt CHRISTVM negarent, ipsos fratresq;e illius, ac sororem, crudeliter necari iussit. Porrò cum eis etiam DONATVS, FIRMATVS Diaconus, FAVSTVS, alij;

alijq; triginta monachi, S. PLACIDI in iam dicto cænobio discipuli Martyrij agonem feliciter cōsummarunt tertio Nonas Octobris, anno salutis quingentesimo trigesimo nono, vel vt alij quadragesimo primo. Quorum omnium corpora canibus proiecta, post aliquot deinde dies GORDIANVS monachus, ex eodem Monasterio fuga elapsus, intacta cum reperisset, cum lachrymis sepeliuit. Tyranni autem (cum prius Monasterium præter Ecclesiam S. IOANNIS Baptista, solotenus euertissent) non multo post vitricibus maris vndis absorpti, crudelitatis suæ panas dederunt. S. BENEDICTVS autem percepto sanctissimi & charissimi discipuli glorioso martyrio, DEO gratias egit & ex consilio Casinensis congregationis quosdam ex discipulis suis ad Siciliam direxit, ad restaurandum prædictum monasterium S. PLACIDI, quod ab illo tempore non amplius à nomine S. IOANNIS BAPTISTÆ, Sed ipsiusmet S. PLACIDI, appellationem accepit, & Congregationis Casinensis aggregatum est. A. C. clo. lvi. cum alijs quinque Monasterijs, nimirum, S. NICOLAI de Arenis, tunc extra, nunc intra Messanensem vrbeim, quod olim fuerat congregationis Siculae caput, S. MARTINI de Scalis, Panormi. S. MARIE de Monte

Luc. 3.

Martyrio coronatur cum alijs pluribus.

S. Benedictus per discipulos curat restaurati Mon. S. Placidi.

Sicilia Cænobia.

Regali. S. MARIE de Gangis. S. MARIA de Fondrono.

Monasteria a S. Benedicto fundata.

*b Lib. 2. Dial cap 22.*

*4 Fausse in Vita S. Mauri.* Multitudo Benedictinorum viuo adhuc S. Benedicto.

NB.

Ut verò ad Italiam veniamus, in qua S. P. BENEDICTVS ante CASINENSE, duodecim fudauit Monasteria, & aliud iuxta urbem Tarracinensem, vti testatur S. GREGORIUS: *b* imò eo adhuc viuo tanto numero aucti sunt eius Regulæ sectatores, vt S. MAVRVS Abbas, eiusdemq; discipulus, suos cohortatur usque de eisdem dicere non dubitauerit: *c* Itaq; & nos per omnia, vestigia Patris nostri sanctissimi BENEDICTI imitari satagamus, qui relicta domo, & rebus patris, & ad vltimum nutricem suam occulte fugiens, ac soli DEO placere desiderans, tantam à Domino promeruit gratiam, vt nemini post beatos Apostolos unquam fuerit secundus, sed potius DEO se iuuante, tot sanctorum exitierii fundator cenobiorum, TANTAQ; DOMINO ACQUISIERIT MILLIA PERFECTORVM MONACHORVM.

De Monasterio Perusiæ fundato iam inde ab anno quingentesimo trigesimo quarto, hæc in Actis S. HERCVLANI inter Officium diuinum legi solitis, & à Congregatione sacrorum Rituum approbatis leguntur. Anno Redemptionis humanae quingentesimo trigesimo quarto, Ioanno summo Pontifice,

fice, & Iustiniano Magno Imperatore, trecentorum hominum cæus apud Cesaream, & Laodiceam Syria urbes collectus, Romam voti causa perueniunt. Homines Principum Apostolorum Basilicas ritè venerari, Pontificem aduent, eo consilio se in Italiam venisse narrant, vt si res postulasset, pro CHRISTI fide propaganda vitam profunderent. Pontificis hortatu urbem egressi, biniq; ab vniuerso cæu se iuncti, totam penè Etruriam, Vmbriam, Latium, Sabinam, ac Picenum sanctis vitæ suæ exemplis, ac doctrina celesti illustrarunt. In his fuit HERCVLANVS, secundus huius nominis Perusiæ Episcopus, qui cum in Cenobio ex S. BENEDICTI Instituto Perusiæ fundato, vitam monasticam magna cum laude duxisset, tandem Ecclesiæ Perusinae Anistes est Ordinatus. Porro urbe Perusina à Totila Gothorum Ducis exercitu tandem expugnata, HERCVLANVM (vt sanctus GREGORIUS refert *d*) eiusdem Regis iussu, Comes, qui pro Totila exercitum gubernabat, capite truncatus, &c.

Cæterum quamuis Italiæ Cenobia parùm ad nostram notitiam peruenierint, præter ea, quæ in nostro Catalogo iam olim annotauimus; attamen ad eorum multitudinem cognoscendam placet subijcere Catalogum Congregationis Cassinensis alias.

*d Lib. 3. dial. c. 13.*

Monasterium Congregationis Cassinensis.

- S. IVSTINÆ de Padua, præter illa iam  
primùm annotata.
- S. IVSTINÆ de Padua.
- S. FORTVNATI iuxta Bassanum.
- S. MariÆ de Carupta, in diœcesi Vero-  
nensi.
- S. IACOBI de Agriano, ibidem.
- Monasterium de Tortona.
- S. NICOLAI de Buschetta, in districtu  
Genuensi.
- S. SPIRITVS de Papia.
- S. BENEDICTI de Padolirone in agro  
Mantuano.
- S. PAVLI de Roma.
- S. SIXTI de Placentia.
- S. GEORGII Maioris de Venetijs.
- S. PETRI Mutinense.
- S. MariÆ Florentinum.
- S. PETRI Perusinum.
- JNGESSATI Mediolanense.
- S. PROCVLI Bononense.
- S. SEVERINI NEAPOLITANVM.
- S. ANGELI Caietanum.
- S. NAZARII Veronense.
- S. EVGENII Senense.
- S. MariÆ de Pratalea.
- S. MariÆ de Pera apud Constantino-  
polim.
- S. COLUMBANI Bobiense.

- S. SALVATORIS Papiense, seu Tici-  
nense.
- S. NICOLAI de littore, Venetijs.
- S. MariÆ de monte, prope Casenam.
- S. EUPHEMIÆ Brixienfe.
- S. PETRI de Sauliano.
- S. HIERONYMI de Silnaria.
- S. PVLIANI de Albario.
- S. BENIGNI Genuense.
- S. MariÆ de Maguzano.
- S. FORTVNATI de Vincentia.
- S. MariÆ Lachroma, iuxta Ragusium  
de Dalmatia.
- SS. FLORÆ & LVCILLÆ de Aretio:
- S. VITALIS Pauennense.
- S. JOANNIS Euangelistæ, Parmense.
- S. BARTHOLOMÆI Assense.
- S. BENEDICTI Maioris Ferrariense.
- S. PROSPERI de Rhegio.
- S. MICHAELIS de Caucoso.
- S. IACOBI de Pontida.
- SS. FAVSTINI & IOVITÆ Brixienfe.
- S. MariÆ de Pomposa Ferrariz.
- S. TRINITATIS, Cauæ.
- S. PAVLI de Argon, iuxta Bergiamum.
- S. CHATARINÆ Genuense.
- S. LAVRENTII, Auerfanum.
- S. MariÆ de Gratijs, in diœcesi Placen-  
tina.

SS. BENEDICTI & SCHOLASTICI  
CÆ de Sublaco.

S. HONORATI Lerinensē.

S. SIMPLICIANI, Mediolanensē.

S. Mariæ de Ponte viuo.

S. Mariæ de Farfa.

S. BENEDICTI Castrouillarum.

S. Mariæ de Andria.

S. Mariæ de Calatauixetta, in Sicilia.

De ordinis verò propagatione in Sardinia, & Dalmatia, & per totum Illyricum, agunt Leo Ostriensis, & Petrus Diaconus, f. varijs locis.

e Chron  
Casin lib.  
3. cap 2.  
f. Lib 7.  
cap 82  
in Catal.  
Abb. s.  
mont.  
Casini.



CAP. IV.

DE S. MAURO ABBATE,  
ET BENEDICTINORUM MONASTERIORUM per Galliam multiplicatione.

**I**N Christianissimum Gallie Regnum Benedictinum institutum primus intulit S. MAURVS Abbas, S. P. N. BENEDICTI discipulus per Episcopum Cenomanensem Bertigrammum euocatus, quem Theodebertus Francorum Rex, in monasterijs fundandis profusâ quadam liberalitate, mirificè adiuit.

Porro hic MARRVS nobilis Romanus, puer a patre Eutychio DEO & sancto BENEDICTO, oblatuS. A. C. DXXIII. breui



S. Maurus  
B. Benedi-  
cti disci-  
pulus.

breui tantum diuinâ gratiâ profecit, vt ipsi Magistro admirationi esset: qui illum sape, veluti regularis obseruantia, & virtutum omnium specimen, ceteris discipulis ad imitandum proponebat. Cuius adhuc adolescentis, illud admirabilis obedientia exemplum à S. GREGORIO, Papâ <sup>e</sup> commemoratur. Nam cum PLACIDVS monachus in lacum prolapsus, aquarum impetu raperetur, sancti Patris iussu accurrès MAVRVS, & super aquas incedens, socium capillis apprehensum ad terram attraxit. Continentia tantâ incedens, Continencia tantâ in hebdomadâ, & quidem parcissimè cibum fumeret. Somnum stando, vel cum nimia eum lassitudo compulisset, sedendo, super aggestum calcis & sabuli strato cilicio, capiebat.

In Galliam mit-  
titur.

Multitu-  
do Gallia  
Monaste-  
riorum.

b *Prævi-  
d.*  
d. s. c. r.

Missus in Galliam ab eodem S. BENEDICTO, celebri Monasterio extracto, cui annos quadraginta præfuit, monasticam disciplinam mirisrè propagauit. Nam in solâ Gallia tam multa monasteria fundasse, dicitur, vt eorum omnium reditus annui, decies, centena millia aureorum attigerint, ita vt potius regna quam canobia, vt sanctus posteris suis reliquisse videatur. <sup>b</sup> Vnde Carolus IX. Rex Gallia dicere solitus erat, S. MAVRVM plures monasterijs à se

à se constructis solo Breuiario suo in Gallia diuitias peperisse, quam Reges ipsi gladio ac potentia acquirere potuerint.

Deniq; sanctitate & miraculis clarus, cum in religione annos LXII. vixisset, & in Gallia XLI. essetq; ætatis annorum LXXIV. obiit apud monasterium suum Glanofolienle, quod ipse Andegauis construxerat, A. C. DLXXXIII. vel c vt Baronius habet in Notis DLXXXIV. XVIII. Cal. Februarij, & ibidem primùm sepultus est. Nunc verò pars corporis, eaq; maxima Parisijs; pars altera Secusij intra Pedemontias alpes, digno honore condita sunt.

Obitus  
S. Mauri.

c *Brem.  
an. 565.  
habet.*

Reliquia.

Factum est itaq; vt vniuersa penè Gallia S. BENEDICTI institutionem per B. MAVRVM didicerit ac susceperit, vt testatur Leo Ostiensis: *d* Ipso itaq; anno, quo de hac vita migraturus erat ad CHRISTVM, rogatus vt ad construendum Monasterium, Monachos in Galliam mitteret: licet sinem dierum sibi imminere cognosceret, nihil moratus, beatum MAVRVM illuc direxit, atq; vna beatum FAVSTVM, qui eius postmodam historia pleniter scripsit, & tres alios mittere studuit: factumq; est, vt per beatissimum MAVRVM, eiusq; discipulos, omnis ordo & regularis disciplina norma, qua per sanctissimum patrem BENEDICTVM in hoc lo-

Testimo-  
nia de Or-  
dinis per  
Galliam  
propaga-  
tione.  
d *Lib. 1. e.  
1. Chron.  
Cas.*

eo fuerat constituta per totam Galliam diffusa, ac disseminata sit. Confirmat illud & Petrus in Catalogo Abbatum his verbis: *Sub hoc Abbate, (CONSTANTINO, scilicet, qui S. P. N. BENEDICTO successerat.) S. MAVRVS per totam Galliam, & Hispaniam ordines fundat. Et Scriptor vitæ S. MAIORI Abbatis: Post eius autem pissimi Patri (BENEDICTI videlicet) ex hac vita migrationem, per beatum MAVRVM illum discipulum omnis pene Gallia eius institutionis & religionis instituta suscepit; atq; per eundem MAVRVM, eosq; quos ille ad institutam erudiuit, per longa temporum spatia, eadem Religio ad perfectionis cumulū excreuit. Franciscus Belforestius quoq; testatur, nulla alia Cænobia fuisse in Gallia, quàm Benedictina, vsq; ad annum MLXVII quo primum Monasterium alterius ordinis, Canonicorum videlicet Regularium, Beluaci à S. IUVONE constructum est. Scriptor vitæ S. HONORATI Abbatis, S. MAVRVM ad Gallias proficiscentem Regulam S. P. N. BENEDICTI, magistri sui, monachis Lirinensibus obseruandam reliquisse fatetur.*

Et sic illud monasterium antiquitate nobile, religionis obseruantia florens, Episcoporum educatione clarissimum regulam S. BENEDICTI suscepit, proprijs institutis

o *Annal*  
*Eranc. l. 1*  
*c. 12. & c.*  
*Cosmogr.*  
*7. 1.*

Lirinense  
Mon:  
quando  
Regulam  
S. Benedi-  
cti rece-  
perit.

ris dimissis, vti præter supradicta testatur Card. Baroni<sup>9</sup> f: *Cum vero adeò frequēs mentio sit de Casarij regulis editis de vita monastica, nec extant illa quidem, putamus eas in S. BENEDICTI monastica instituta receptas, non autem perijisse. Sicut enim ipsū Lirinense Cænobium cessit vsui monachorum S. BENEDICTI, ita & ipsas CÆSARIJ constitutiones monasticæ vitæ, ut riuum in flumen deriuatas esse in regulas S. BENEDICTI mihi facile persuadeo.*

Habuit autem se dictum monasterium non solum instar facundæ matris, respectu monasteriorum Gallicanorum, sed etiam instar illustrissimi & amplissimi domicilij, vnde ad regimen Ecclesiarum educebantur passim Episcopi, vti testatur S. CÆSARIVS, qui in illo monasterio monasticam vitam & didicit & excreuit; & inde ad Episcopatum est prouectus; qui inter cætera hæc de insulâ Lirinensibus scribit: *Hæc est qua eximios nutrit monachos, & præstantissimos per omnes prouincias erogat Sacerdotes. Quibus verbis subdit Baroni<sup>9</sup>: Vix enim reperiri erat, qui his temporibus assumptus in regionibus illis ad regimen Ecclesiarum, non delectus esset ex nobilissimo, & regularis institutionis obseruantissimo cænobio Lirinensi. Rursus idem Cæsarius prædicti cænobij monachos sic as-*

f *Annal*  
*tom. 6.*

Plurimi  
ex eodem  
Episcopi  
prodie-  
runt.

fatur: Ab Oriente usq; ad Occidentē & omnibus penē locis, in quibus Christiana religio colitur, religiosissima vestra conuersatio ad CHRISTI gloriam predicatur. Iure à vobis exigitur, vt quod de vobis creditur, hoc probetur. Agite ergo DEO auxiliante, quod semper egistis, &c.

Alia præterea antiqua Galliarū Monasteria se obseruantia B E E D I C T I N Æ submiserunt, vt A G A V N E N S E, S. E V G E N D I T Y R O N E N S E.

Inter B E N E D I C T I N A verò Cænobia, principatum iure suo quasi obtinet, S. D I O N Y S I I Abbatia Regalis, secundo lapide à Lutetia Parisiorum, in oppido eiusdem nominis hodie sita, cuius fundator fuit D A G O B E R T V S Rex Francorum XI. qui ab anno DCXXXII. vsq; ad annum DCXLII. regnauit. Huius foundationis primam originem Sigebertus g ita literis consignauit: Anno DCXXIX. D A G O B E R T V S iram patris sui L O T H A R I I Regis meruit, quia consiliarium eius casum & detonsum debonestauerat; Parisijs ad Ecclesiam S. D I O N Y S I I confugit, & quia inde nullo modo extrahi potuit, locum illum semper cordi habuit. Ita Sigebertus; Chronicon Bertinense MS. addit; Et hac de causa S. D I O N Y S I O deuotus, monasterium illi fundauit solemnissimum, sanctorum Martyrum memorias

A N Y O,

aurō & gemmis pretiosissimis adornando. Eiusdem sacræ reliquiarū, vt & S. L Y D O V I C I Galliarū Regis, ibidem spectantur, pretiosissimis thecis inclusa, cum alijs plurimis. Visuntur ibidem tumuli marmorei omnium penē Galliarū Regum. VI. C A L. M A R T I J, solenniter peragitur dedicatio eiusdem Ecclesiarū miraculosè à C H R I S T O Domino summo Pontifice Pontifice consecrata, in cuius rei testimonium leprosus à Domino I E S V curatus est; & eius casarius in competenti capsula reconditur: quam vsq; hodie inter honorabiles reliquias, & gazas celebriores, illius Ecclesiarū conseruant scrinia, vtpote quam ipsa Dei manus tetigerat. Monstratur ibidem & fenestra per quam Dominus I E S V S à sanctissima Matre sua, & SS. P E T R O & P A V L O ac D I O N Y S I O, totaque curiā cælesti, comitatus, ingressus est; simulq; columna, quæ magnitudinem & staturam ipsius C H R I S T I Domini representat, cum alijs nonnullis, quæ ibidem in Capella ad sinistram pro reliquijs referuntur. Hæc historia ita memoriæ mandata legitur: b Tempore Dagoberti Regis Francorum, Episcopis apud D. DIONYSIVM dedicanda ecclesie gratia à D A G O B E R T O conuocatis, dum sexto Calend. Martij mysterium absolueret statuisset, pridie ipsarum

D 3

Eiusdem miraculosa dedicatio.

Id est  
Dionysii  
h. R. bert  
Gaguin.  
Lib. 3.  
Annal.  
Franc.  
Fulgof. l.  
Calen. 1. c. 6.

De San-  
Dionysia-  
no Mona-  
stio.g In  
Chron.

Calendarum homo lepra admodum deformis ab editis impetrat in eade noctare. Vbi dum vigil in oratione perseverat, vider perspicue CHRISTVM comitantibus eum PETRO PAULOq; vna cum diuis martiribus, DI-ONYSIO, RUSTICO, & ELEV-THERIO per fenestram in basilicam ad-ventare. Qui candida veste amictus dedicatio-nis sacrum munus absoluit. Indeq; ad lepra contaminatum progressus Christus: Tu, inquit, homo dicito pontificibus, cum crastina luce ad hanc edem se conferent, eam a me consecratam esse. Cuius rei fidem fecit infirmi hominis cura. Nam contacta hominis facie lepram omnem CHRISTVS auferens eam proximo lapidi glutinauit, qui ad hunc vsq; in diem per sum-mam admirationem visitur. Quo miraculo attoniti presules dedicatione abstinerunt. Hec causa est, quam obrem frequens admodum populus ad ecclesiam ipsam sexte Cal. Martij conueniat, firmissime credens id a CHRI-STO DEO fuisse perpetratum.

Alia Gal-lie Cæ-nobia.

Alia præterea Gallia Monasteria nu-merantur, utpote *Athaniacense* S. MARTI-NI, Lugduni A. C. DCXII. fundatum.

*Brantholineum* in diœcesi Petracouienfi anno DCCLXIX. Carolus M. condidit. In vrbe Rhemenfi est archimonasterium S. REMIGII titulo nobile, in quo *Christus* celeste

celeste sedulo adseruatur, Gallia Regum vnctio-ni destinatum. *Vizeliacense* in diœcesi Antisiodorensi. S. MENULPHI; Lau-rentonij, S. LAURENTII & S. ISIDO-RI. *Vsarchie* S. PETRO sacrum in d. Le-mouicensi. S. SVPITII *Bituricense*, D' *Asnani* Lugduni A. C. DCXII. S. AVDO-ENI *Rotomagi*. S. CYPRIANI in subur-bijs Protatiensibus, DCCCXXXVIII.

*Quincei* apud Pictones. *Iourense* in d. Meldensi.

*Cormeriacum* in d. Turonensi. S. NI-cOLAII prope muros vrbs Andegauensis, Item de Oratorio, vernaculè du *Lauroux*. *Tironense* in Pertico caput congregationis Tironensis, habens sube XIV. Abbatis, inter quas sunt, *Pelisse*, *Asnières*, *Ferrières*, *Guedennay*, *Ioudien* apud Lugdunum, & *Charisij*.

Maius monasterium, *Mairemonstier*, haud procul ab vrbe Turonensi situm. S. GEREMARI, in d. Bellouagenfi. *Ferra-riense*, aliàs S. MARIÆ de Bethchem, in Senonibus. S. *Acheoli* in d. Ambianensi.

S. *Fusciani* in nemore in d. eadem. *Vindocinense* S. TRINITATIS in d. Car-notensi. S. *MARIÆ* de Silua maiori cæ-nobium in ora maritima Burdigalensi. S. CALUMBÆ iuxta vrbem Senonensem. S.


VINCENTII iuxta urbem Canomanensem. S. BENEDICTI Floriacense in d. Aurelianensi. *Rhotouense* in d. Venetensi, apud Britones. S. CORNELII in oppido Compendio d. Sueffionensis. *Mollis specii* apud Bituriges. *Insula Barbara* apud Bituriges. S. MICHAELIS ad Eremitum. SS. PETRI & PAULI in urbe Senonensi. S. LUCIANI in suburbio Bellonacensi. *Fiscanum*, & *Fontanellum* in finibus Neustriæ construxit S. VVANDREGISILVS circa an. DCXCII. *Altum Villare* construxit *Niuardus* Archiep. Rhemensis, & varijs immunitatibus donauit. S. BASILEI monasterium. SS. SERGII & BACHI iuxta urbem Andegauensem excitauit Clodoueus I. Rex Galliarum; itemq; Iucundæ uallis, vulgò *Ioyenual*, in agro Parisiensi. S. GERMANI de pratis, in suburbij Parisiorum, fundauit Rex Childebertus. *Montis* S. MICHAELIS in maritimâ Normanniæ ora. *Orbesum* in d. Rhemenfi. S. MEDARDI apud Sueffiones Clotharius; S. GERMANI, quod nunc est, S. ALBINI apud Andes Theodobertus excitauit. S. JOANNIS Angeliaci in Sanctonibus, anno DCCLXI. Pipinus Rex erexit. S. FLORENTII veteris apud Andes, S. IVDOCI ad mare, iuxta Monstrolium opidum. *No-*  
*bilis-*

*bilicum* in Pictonibus. *Caroffi*. S. Maxentij, S. Sauini in Pictonibus Ludouicus Pius; S. MARTINI de Campis Parisijs MLX. Henricus. *Tyrense* in d. Carnutenfi sub an. clo. cx. Ludouicus Crassus; S. *Gilda & Burgi* Dolensis, apud Bituriges Ebbo Dolensis. Rhulus; *Auriliacense* in Auernia, D. Geraldus; *Latiniacum*, S. FVRSSEVIS Hibernus fundarunt. S. *Gildasij*, in di. Venetica apud Britones. *Rinenfe* ibidem. S. SALVATORIS de Carnusio apud Pictones. S. *Seueri* in Vasconia, & d. Adurenfi. Mon. de *Sorde* in d. Aquensi. *Blauimontis*, in d. Vafalensi. B. MARIE de *Carignotes* in d. Adurenfi. S. ANDREÆ Viennense. S. MARIE & S. *Marcellini de la Chaume*. *Burgidolense*. S. CRVCIS Burdigalense. *Casa DEI*, in Auernia suæ Congregationis caput. *Nostre Domine Sueffionense*. *Cellenfe* in d. Trecenti. S. *Arnulphi* apud Crispicium. S. *Dionysij de Nongento Rotrodi*. *Arcemarense* in d. Trecenti. S. PETRI de Nigella; S. *Sereni* de Cantumerula; & B. MARIE de *Bricolio* in d. Trecenti. S. *Sepulchri* in d. Tricasina. *Grandimontense*, unde & congregatio nomen, reformatâ à S. STEPHANO Abbate, A. C. clo. vi. cuius Monachi spiritualibus & diuinis officijs tãtũmodo intenti sunt, tẽporaliũ administratione & prouidentia laicis fratribus

credita & relicta; postquam professionem fecerunt, de cetero nunquam licet eis carnes manducare, quantacumq; aegritudine pregraentur. Habet sub se, prioratus circiter triginta. Vallis caulium sita est in siluis, inter Diuionē & Augustodunum Ducatus Burgundiæ oppida in diœcesi Lingonensi, à quâ congregatio quædam reformata nomen accepit; & habet sub se in Burgundia Prioratus circiter triginta. *Casale BENEDICTI.* Caput Congregationis reformatæ in Gallia, fundatum circa A. C. clōc. habet sub se, quinq; virorum, & totidem, sacrarum Virginum Monasteria. Erecta est præfata Congregatio ad instar Casinensis, & confirmata à Leone X. A. C.

clō. lo. xvi.





S. ÆMILIANVS ABBAS ORD. S. BEN.  
 ÆMILIANVS cuius Patronus habetur IBERIS.  
 Quod MAIROS hostes tradidit ipse neci,



## CAP. V.

DE INSTI-  
 TUTO BENE-  
 DICTINO, AB HISPANIS  
 RECEPTO; ET S.

Æmiliano Abbate Hispaniarum Patrono.



IN Hispaniam monasticas leges derulerunt, discipuli S. BENEDICTI, circa A. C. DXL. ipsi adhuc viuente & iubente at inter eos clarior est, habitus, qui idem institutum illustrarunt & propogarunt, præ ceteris ÆMILIANVS; is honestis parentibus, natus Vergegij, quod oppidum est ad ratices montis Distertij, in Castella veteri aqud Hispaniam; cum vigesimum annum attigisset, Spiritu sancto eum inspirante, & dirigente, ad quandam Eremitam sanctissimum,

Æmilianus primus cultor eremici.

num,

nam, in Castello Biliuensi degentem, nomine FELICEM. adiit; vt ab ipso spiritualis vitæ documentis instrueretur. Quod cum feliciter esset consequutus, ad locum, qui nunc eius oratorium dicitur, remeavit. Sed cum videret impedimento sibi fore iam ad se concurrentium multitudinem, celsiora atq; remotiora secreta dicti montis expectavit. Ibi per quadraginta circiter annos habitavit, nullò hominum consortio vtens, sed solum fruens consolationibus Angelorum, & frequentes pugnas Dæmonum tam visibiles, quam inuisibiles perpetuens. ventorum, impetus, inclementias imbrium, algores niuium, & plures id genus labores, non solum amore CHRISTI, tolerabiliter, sed etiam libenter, desideranterq; suscipiens. Inde rediit ad locum sui oratorij: vbi assiduis vigilijs, ieiunijs, & orationibus vacans, varias corporis agritudines in se patientissimè fereas, in alijs verò omnes promptissime sanans, cælestem vitam agebat: & ob suam notam sanctitatem, à Dydimo eius Episcopo Tirsanenſi Vergegij Ecclesiæ præficitur. Cum tamen sua bona in eleemosynas distribueret, de iacturâ illi proueniente, à suis clericis coram dicto Episcopo accusatur, & ab iniuncto ministerio repellitur. Tunc lætenter ad suum oratorium rediit, & vitam

Profectur  
Regulam  
S. Benedicti.

mona-

monasticam cum alijs pluribus sub Regula S. P. N. BENEDICTI professus est; curamq; gerens abbatialem, clarus omnigenis miraculis, & prophetiæ spiritu, cum primis omnium (vt quorundam est opinio) BENEDICTINAM Religionem plantasset in Hispania, obiit in Domino, suæ mortis ante annum præficus, ætatis autem centesimo, CHRISTI verò quingentesimo, septuagesimo quarto: ANTONIO & MARTINO vita atq; miraculis per omnia similis. Post eius mortem, quia non semel visus est in Hispaniæ defensionem magnis prodigijs de cælo descendere, & cum Mauris pugnare, ex illisq; vna solâ vice mactare octuaginta millia: idèd cognomen PATRONI HISPANIÆ simul cum Apostolo IACOBO maiori meritissimè adeptus est; ipsamet ex tunc cum annuæ oblationis voto se gratam ostendente.

Postcâ anno Domini millesimo quinquagesimo tertio volens Garſia primus Rex Nauarræ eiusdem Sancti corpus ad Naiaram transportare, ipso Rege præſente, & aliquibus Episcopis, maximoq; fidelium concussu, cum ad ima vallis fuisset delatum, ita fortiter humi defixum est, in solamen Monachorum, qui tanti Patris ablationem inconsolabatur lamentabantur; vt nulla arte, nul-

Hispaniæ  
Defensor  
& patronus.

lisq;



Mon: S.  
Æmilia-  
ni funda-  
tur.

lisq; viribus potuerit amoueri. Quod in-  
tuens Rex, eo loco cænobium illud tota Hi-  
spania sanctitate & amplitudine celeberrimum eiusdem S. ÆMILIANI nomine in-  
signitum ædificari præcepit, vbi sancti viri  
corpus, cum alijs pluribus, in arca aurea,  
plurimis & pretiosis gemmis ornata decen-  
tissimè obseruatur, & continuit miraculis  
coruscat.

*Eius tumuli inscriptio huiusmo-  
di extitit.*

PVRGATISSIMI APOSTO-  
LICIQ; VIRI ÆMILIANI COR-  
PVVS HIC HVMATVM IACET,  
QVI POSTQVAM EREMITI-  
CAM VITAM MVLTIS ANNIS  
EGIT ET CLERICALEM, TAN-  
DEM MONASTICAM PROFES-  
SVS, SVB REGVLA ADMIRA-  
BILIS BENEDICTI CVRAM  
GERENS ABBATIALEM, OBIIT  
IN DOMINO CLARVS MIRA-  
CVLIS ET PROPHETIÆ SPIRI-  
TV, HERA. DLXII. Est is annis  
CHRISTI DLXXIV. Vocatur autem di-  
ctum Monasterium vulgò de S. Millan de  
la Cogolla, aliàs de San Millan de Suso. in quo  
& spectantur octæo arca lapideæ, in quibus  
quiescunt famosissimi illi septem Infantes  
de

de Lara, cum suo Ayo, vt Hispanicè vocant,  
seu magistro. Et est situm in D. Calagurri-  
tana, & S. DOMINICI de la Calcada; cui  
tanquam matri originem suam debent mo-  
nasteria virorum varia: vt S. MARTINI  
de Fercan, S. MARTINI de Thama, S. RO-  
MANI de Doniscle, S. MARTINI de Me-  
na, S. FELICIS de Auca, S. IOANNIS de  
Orbananos, S. VINCENTII de Ocizta, S.  
STEPHANI de Salzedo, S. MARTINI  
de Mameio, S. MARIE de Casiera, itemq;  
monasterium vnum monialium, videlicet  
S. MICHAELIS de Pedroso.

At longè ante S. ÆMILIANVM Re-  
gulam S. BENEDICTI in Hispanias dela-  
tam colligitur ex S. MAXIMI Cæsar augu-  
stani Episcopi testimonio, quod tale extat. \*

*Era DXXVIII. (hoc est A. C. DXL.)*

SANCTIA SEVERIANI mater, adifica-  
to monasterio monachis, quos S. BENEDI-  
CTVS primum misit ad Hispaniam, ad S.  
PETRVM Caridignensem Toleti moritur. Et  
in eodem monasterio conditur. Et paulò pòst:  
Era DXLII. (A. C. DLIV.) ATHANA-  
GILDVS Rex in planicie suburbij Toletani a-  
dificauit monasterium Ordinis S. BENEDI-  
CTI, in honorem S. IULIANI apud Auer-  
nos passî, dictum AGALLIENSE ab Agal-  
lula villa.

Alia Hi-  
spaniæ  
Cænobia.

a Ap.  
Prud.  
Sando-  
ual p. i.  
Fundat.  
Monast.  
Bened.  
Hisp.  
Caradi-  
gna pri-  
mum Be-  
nedicti-  
norum in  
Hispania  
Cænobium.  
Item alia.

Circa eadem tempora fundatum est monasterium S. TORIBII de Lieuana, situm in montibus S. IULIANÆ, primo lapide ab oppido *Potes* nuncupato, & nomē habet à S. TORIBIO monacho, fundatore: qui est alius à S. TOBIRIO Episcopo Asturicensi. Nam TORIBIVS Episcopus vixit circa A. C. CDL. temporibus LEONIS Papæ: TORIBIVS autem monachus floruit circa annum. DXLIV. temporibus MONTANI Archiepiscopi Toletani. Monachi meminit Ildesonus, cum de MONTANO agit. Vterq; TORIBIVS fidem Palentiæ propagavit, & contra Priscillianistarum hæreses depugnauit. Vtriusque sacrum corpus hoc in monasterio adseruatur in sacello subterraneo. In eodem monasterio adseruatur magna pars CRUCIS DOMINICÆ, & magno hominum piè peregrinantium concursu frequentatur.

Temporibus etiam S. BENEDICTI fundatum creditur monasterium S. CLAUDII, ad muros vrbs Legionensis, in honorem SS. martyrum CLAUDII, LUPERCIJ & VICTORIJ, quorum corpora ibidem asseruantur. Huius monasterij quondam Abbas fuit S. VINCENTIVS martyr, cuius sacrum corpus asseruatur in basilica cathedrali Ouetensi, arcæ argenteæ

teæ inclusum. In eodem monasterio, ob loci sanctitatem, olim vixit S. LEANDER Archiepiscopus Hispalensis. Est & illustre monasterium de Ona dictum, haud procul situm à *Medina del Pumar de miranda*, per SANCTIVM Caitillæ Comitē anno MX. fundatum ad expiandum patricidium matri à se illatum.

In regno Nauarræ in diœcesi Pompeionensi est Abbatia S. SALVATORIS de *Leyra*, fundata per Regem INICVM XI-MENIVM ARISTAM A. C. DCCCXL.

Est illustres pariter Abbatia in Nauarræ oppido Naiara, quæ vulgò dicitur, *El Real de Naiara*, in qua 37. Reges sepulti sunt. Sunt insuper in Hispaniarum, regnis alia multa cænobia Abbatiali titulo clara, vt CELLA NOVA in diœcesi Auriensi, in regno Galiciæ, fundata per ROSEVIN-DVM Archiepiscopum Compostellanum.

In eodem Cænobio quiescit corpus S. TORQVATI Episcopi Gaditani. Abbatia S. STEPHANI dicta, in *Riba de Sil*, quòd ad fluiuium nominis eiusdem sita sit in regno Galiciæ.

Abbatia S. IOANNIS de *la Penna*, in confinibus Aragoniæ & Nauarræ. Abbatia S. MARTINI in vrbe Mantua Carpetanorum, seu Madrito. Abbatia S. PE-

TRI de Arlanca, ad fluuium de Arlanca, fundata per Comitem *Fernandum Gonzales* Castellæ administratorem, ibi sepultum. Abbatia S. DOMINICI de Silos, in diæcesi Calagurritana, quæ nomen ab eodem Sancto habet.

Abbatia de *Hipoll*, in Principatu Cataluniæ, tumulis antiquorum Comitum Barcinonensium insignis.

Abbatia, vulgò *El Real de Trache*, in vrbe Stella, in regnò Nauarræ.

Abbatia nostræ DOMINÆ, *Sopetram* dicta, prope oppidū *Hita*, ad fluuium *Henarès*.

Abbatia S. VICTORIANI, in diæcesi Oscensi, in regnò Aragoniæ.

Abbatia S. CYCVRHÆ, vulgò de *S. Colgat*, octauo lapide ab vrbe Barcinonensi, ab eiusdem prouinciæ comitibus fundatur.

Abbatia S. PETRI de Roda, in Ampurijs ad mare sita.

Abbatia S. MARTINI in vrbe Compostellana, quæ vulgò S. IACOBI dicitur in regnò Galiciæ.

COMPLVTENSE Monasterium fundatum est à S. FRVCTVOSO Abbate S. PETRI de monte, postea Archiepiscopo Bracarensi, in honorem SS. IUSTI & PASTORIS circa annum DCL.

Longè

Longè verò clarissimum habetur Cænobii illud in MONTE SERRATO, DEIPARÆ cultu, ac miraculis celeberrimo. Distat septimo lapide à Barcinone, metropoli Cataluniæ, estq; fundatum per GODEFRIDVM Pilosum, primum Comitem Barcinonensem (qui floruit ANNO DCCCXC.) pro monialibus primùm Benedictinis. Quæ cum in vrbe Barcinonensem migrare essent iussæ, monasterio S. PETRI ipsis tradito, monachi mox sunt substituti.

Monasterium S. ROMANI de *Hornisga*, hodie de *Ornixsa* in diæcesi Toletana fundauit ac dotauit. CINDASVINDVS Rex & vxor eius RECIBERGA, Era DCXXCIV.

S. PETRI de Monte situm in Vergiisco Hispaniæ prouincia vulgò *El Vierzo* nuncupata, excitatum est à S. FRVCTVOSO, principis illius prouinciæ filio, & Archiepiscopo Bracarensi Era DCLXXXIV. Post S. FRVCTVOSVM successit S. VALERIVS, qui illud circa Eram DCC. mirificè auxit: quod & postea fecit GENNADIVS, Episcopus Asturicensis, qui collapsum instaurauit ac consecrauit. Era CMLIII.

Illustre quoq; habetur monasterium S.

ISIDORI de *Duenas*, in regno Legionensi; fundatum circa A. C. DCC.

Monasterium regium S. BENEDICTI, propè oppidum de *Sabagun*, vulgò de *S. Benito* & *Real de Sagagun*, dotatum atq; inſtauratum eſt per Regem ALFONSVM cognomento Magnum, eiufq; vxorem XIMENAM A. C. CMV. Poſteà verò inſtauratum per ALFONSVM VI. & CONSTANTIAM eius coniugem, in honorem SS. Martyrù FACVNDI & PRIMITIVI, quorum corpora ibidem quieſcunt. S. ATTILIANVS Numantiæ ſeu Zamoræ Epiſcopus, huius loci olim Monachus, fuit ab VRBANO II. anno MLXXX. in numerum SS. relatus. Vitam eius ſcripſit *Lobera*. Sunt qui dicant FROYLANVM Epiſcopum Legionenſem, eiufdem cænobij olim monachum fuiſſe. S. ALVITVS ſiue ALOITVS Epiſcopus Legionenſis & S. ORDONIVS Epiſcopus Aſturicenſis, monachi hoc in loco haud dubiè fuerunt.

Huic illuſtri Abbatiz annexi ſunt Prioratus non pauci: Monasterium S. MARIE de *Piaſca*, fundatum à Comite RODERICO Gongales; à quo Comite illuſtriſſima familia Gironum genus ſuum ducit.

Monasterium S. BARTHOLOMÆI de *Medina del Campo*: Cuius loci Prior gaudet titulo

titulo Abbatis. In eo loco viſitur imago CHRISTI crucifixi, & frequentatur, magna cum deuotione populi. Monasterium S. MANCII, qui fuit diſcipulus CHRISTI, vt traditur, & ibidem quieſcit.

Monasterium S. SALVATORIS de *Nogal*, olim Abbatia nunc Prioratus. Fundatrix fuit illuſtris matrona ELVIRA Sanchez Era MI. Ex hoc Monasterio Nogalenſi aſſumpti ſunt primi monachi ad fundandum monasteriù S. BENEDICTI in vrbe Vallis oletanà petente IOANNE illius nominis I. Rege Caſtellæ, qui veterem arcem in monasterij Benedictini formam conuertit, & obijt, A. C. MCCCXC.

Vallis oletanum iſtud monasterium nunc eſt caput totius cõgregationis reformatæ in Hiſpania, cuius primarius auctor extitit circa A. C. MDXX. D. GARSIAS *Ciſneros*, Abbas Monasterij S. MARIE in *Monte Serrato*, in diſtrictu Barcinonenſi, qui obijt circa annum MDXL.

Monasterium S. PETRI de *Eſtonza* in agro Legionenſi tertio ab vrbe lapide, primò dedicatum fuit in honorem S. EVLALIE Virginis, & S. VINCENTII Leuitæ; eiufq; Abbas fuiſſe creditur FLORENTIVS, qui Concilio Toletano I. interfuit. Verùm temporibus Regis GARZIE dedicatù eſt in honorem SS. Apoſtolorum PETRI & PAULI vt

Vallis oletanæ Congregationis origo.

constat ex diplomate quodā, in quo mentio fit aliorum trium monasteriorum, nempè S. IOANNIS, intra munitionem muri Legionensis siti, S. ADRIANI in Montanis, & S. IOANNIS, quod vocatur Viruio in Asturijs.

Lusitaniae Congregatio Vlyssipone.

In Lusitaniā verò nostris temporibus maximè floret Congregatio S. BENEDICTI de Vlyssipona, cui A. C. cō. lo. LXVI.

Abbatiae Portugalliae vacantes subiectae fuē-

re



CAP.



CAP. VI.

DE PRIMIS INITIIS, PROGRESSU, ET ADMIRANDA BENEDICTINI

Instituti propagatione in Magna Germania.



N Germaniam primus omnium BENEDICTINOS euocauit S. DISTIBODVS, qui praelaris in Hibernia ortus natalibus, literis & liberalibus disciplinis institutus, per gradus virtutum, & ætatis incrementa singulis initiatus sacris ordinibus, cum trigessimum ageret annū, presbyter ordinatus est. Mortuo exinde illius regionis Antistite, inuitus ac renitens Episcopus creatur. Sed cum imorigeros & vitijis deditos assidue arguēdo, obsecrando, increpando nihil proficeret, &

Ex ea quæ est per S. Hildegardim scripta vita.

ab

ab iisdem etiam iniurijs plurimis afficeretur, at tandem è sede sua contumeliosè pelleretur, ille quidem DEO mallens in quiete seruire, quàm sine fructu diutiùs apud illos hærerè, paucis sibi adiunctis religiosi viris (HISVALDO, CLEMENTE, SALVSTO, alijsq; monachis) sedem illam, quam annis decem strenuè & piè gubernarat, patriam quoq; ipsam, & res suas omnes CHRISTI amore reliquit, dicens: neq; sibi, neq; alijs prodesse, si illic velit morari: vbi vsq; ad eò increuerit perfidia, incredulitas, & pertinax iniquitas. Atq; ita peregrinationem diu optatam, pro vitæ æternæ iucundo animo suscepit. Cùm autem ex Hibernia egressus esset, multis peragratis regionibus, & locis non paucis accuratè exploratis, vbi animæ suæ posset inuenire requiem, tandem in Alemanniam peruenit. Vbi in durum fanè & ferum populum incidit; attamen fesus aliquamdiu pedem illic fixit, gentiq; illi verba salutis & sanctitatis exempla proposuit. Nec deerant, qui audito illo, amarent sanctum DEI hominem: at per multi nec audire eum sustinebant, tantùm abest, vt amore & benevolentia profèqui vellent. Interim dum apud illos moram facit, apud se deliberans, quonâ cõferre se debeat, gratissimè B. BENEDICTI & Religionis monasticæ

nasticæ ab eo institutæ fama ad eum perlata est. Nam non ita pridem è vita excefferat S. BENEDICTVS, & plurimos instituti sui cupidos sectatores post se reliquerat.

S. Benedicti fama incitatur.

Vnde B. DISIBODVS plurimùm gauisus, optabat sibi aliquot eiusdem religionis viros adiungere socios. Itaq; concepta bona spe desiderij sui quãdoq; cælestis gratiæ ope complendi, vbi de hominibus ad Rhenum agentibus percepit, duros quidem & asperos illos esse, sed tamen Ecclesiasticam religionem deuotione colere, properè ad Rhenum tendit iter, atq; inde deflectens & per auiam quæque ingrediens, ad fluiuium, quem *Glauu* vocant, peruenit; quo transmissio, montem excelsum & syluigerum cõspicatus, in eum post decem peregrinationis suæ annos ascendit. Quem circumquaque perlustrans, cunctaque eius latera accuratè inspiciens, amænitas illius magis ac magis eum incitauit, vt illic cuperet sedem figere. Ascensus siquidem arduus, difficilem præbet aduentantibus accessum, & riuiuli ex vtraq; eius parte manantes, corporibus magnam afferunt refocillationem. Fusa igitur ad DEVM precatione, in montis descensu ad orientem propter aquæ compendium, sibi habitationem designauit, vitæque institutum, quod diu concupierat strenuè inchoans,

S. Disibodus reli-  
cto Epi-  
scopatu  
venit in  
Germaniam.

choans, orando, vigilando, ieiunando durè & asperè solitariam illic vitam duxit; quam socij eius impigre imitantes, singuli sibi cōstruxerunt habitacula, procul ab inuicem distantia. Sustentabantur autem aliquandiu radicibus herbarum: cū alijs escis carerēt. Capere porrò post aliqua temporis spatia in populi, venationis, piscationis, aliarumq; rerum necessariū causa locum illum frequentantis, notitiam venire. Iam enim rumor sparsus erat in vulgum, sanctum quendam hominem cum aliquot socijs à DEO missum eò venisse. Quod cū plerisq; admirationi esset, ad eum accedebāt, & de rebus vtilibus cum illo sermones cōferebant. Vnde factum est, vt quibus ille sermones & adhortationes inefficientis vitæ promebat, ij res corpori sustentando necessarias ei & socijs eius sæpè suppeditarent. Ille verò cum suis pauperes & egenos colligens, quicquid de victu quotidiano superesset, illis distribuēbat. Semper enim memoria retinebat, Adamum è cibo perijsse; attendebatq; Antonium, Macarium, & eis similes patres, herbis & aspero victu fuisse cōtentos, vt eorum confirmatus exemplis, corpori suo molles & delicatos cibos non permitteret: ne ab antiquo serpente deciperetur. Quanto autem magis affligebat carnem suam, tanto illum

Deus

Deus copiosiori augebat gratia sua, & per miracula quoq; eum celebrem, cunctisque manifestum reddebat.

Per multi siquidem ad eum adducti infirmi & debiles, per eius merita diuinitus repentè curati sunt. Vnde fama sanctitatis eius per totam regionem volitante, principes & nobiles, opulentiq; homines, cū reliquo eius regionis populo, montem illum cum omnibus sinibus eius vltra decurētes fluuios *Nabanc* & *Glaun* in longum & latum, ei & posteris eius donarunt, vt pijs hominibus illic congregatis vitę degendæ necessaria affatim suppeterent. Eo autem munere accepto vir sanctus multum extimuit, recordatus malorum, quæ erat plurima perpeffus in Episcopatu, flexisq; genibus Dominum orauit, vt oblatio illa ad fructum & profectum animarum, spiritus sancti operatione cederet. Deinde diu noctuq; multum æstans, secum animo reputabat, quemadmodum ex longo tempore desiderasset rationem aliquam inuenire, quâ locum quendam posset obtinere, vbi religiosos & asperioris vitæ studiosos viros colligeret. Didicerat enim in spiritu, patesse, vt spiritualium hominum conuentus eo in loco suo creatori seruiret. Agente autem spiritu sancto, omne animi sui studium & voluntatem ad vitam & doctrinam.

Benedi-  
ctinos e-  
uocat in  
Germa-  
niam.

ctinam. S. BENEDICTI, qui iam ad DEVM transierat, & quosdam beatos viros, sanctæ institutionis suæ fideles ministros, ijs temporibus adhuc superstites reliquerat, appulit, & ad lōginqua loca, vbi ea institutio religiose & sanctè colebatur, nuncios misit, supplices preces offerens, vt quidam ad ipsum venirent, vineam Domini Sabaoth ad præscriptum doctrinæ beati BENEDICTI plantaturi. Is enim sanctus Pater BENEDICTVS regulam, quæ spiritualibus hominibus esset accommodata, è sanctorum vitis sancto spiritu docete & ostendente condiderat. Ità ergò quamplurimos beatus DISIBODVS eiusmodi instituti & conuersationis viros religiosos ad se adduxit, quibus etiam oratorium & congrua domicilia in montis supercilio, propter difficilem & arduum accessum, contra Orientem construenda curauit, nè aduentatis populi strepitu interturbarentur, & feruor atq; rigor instituti, quotidiana eò confluentium visitatione dissolutus & eneruatus, in desidiam & segnitiam abiret. Porrò ipse solitarius permāsit in domicilio & oratorio illo, quod in montis descensu ad Orientem, vt diximus, exstructum erat: vt ad occurstantia omnia paratus esset, & superuenientibus pro cuiusque ratione & conditione, opportuna

posset

posset responsa dare. Ea verò fratrum congregatio, tam pietate erga Deum, quam habitatorum numero crescebat: cunctaq; agenda & habenda, imperio S. DISIBODI subiacebant, communisq; ab illis vita secundum B. BENEDICTI institutionem, exercebatur. Dabat autem operam sanctus pater, vt congregatio illa consuetudine ipsius præscriptæ Regulæ intantum confirmaretur & coalesceret, vt diabolus vitia in ea parturire non posset, nec suis eam iaculis confingere, aut fratres alios ab alijs separare: & vt eadem ipsa congregatio & dæmonibus & hominibus terribilis videretur tum vitiorum abstinentia, tum concordii studio virtutum.

Atq; hac ratione effectum est, vt per multas prouincias insignium virtutum eorum fama sparsa sit, compluresq; ad eos venerint, consilia & auxilia animarum salutis opportuna ab eis expetentes: prædiaq; & facultates suas DEO & B. DISIBODO hilariter offerentes.

Porrò vir sanctus diuina mysteria ab eo tempore quo è sede sua eiectus est, vsq; ad vitæ finem, non vt Antistes, sed vt pauper presbyter celebrauit, nihil prorsus ea ex reuerentia accipiens, sed potius animo exultans, CHRISTI passionem imitando. Cæ-

F

terum



tèrum cùm iam triginta annis ibidem DEO fideliter seruiiſſet, ac fratribus ſuis verbis & exemplis egregiè præſuiſſet, plus labore quam ſenio exhaustis corporis viribus, ægrotare cœpit. Conuocata igitur ſancta congregazione, inſtantia mala & proſpera, imminentemq; à corpore migrationem ſuam, ſpiritu prophetico prædixit, ſucceſſoremq; designauit: omnia quæ eius loci erant illi commitens. Locum quoq; ſepulchræ ſuæ illis oſtendit, cum lachrymis & gemitibus eos orans, ne in ſublîmi aliquo loco, ſed in humili oratorij ipſius vmbraculo ipſum humarent. Et quidem fratres magno dolore affecti, tantiq; Patris amiſſionem lugubri voce deplorantes, polliciti ſunt ſe id curaturos. Atq; ita poſt multos exantlatos labores, poſt multas toleratas cruceſ & afflictiones, anno ætatis ſuæ LXXXI. diem obiit extremum: CHRISTO Redemptori, cui fideliter ſeruierat, ſpiritum reddens.

Sacrum autem eius corpus fuit ingenti omnîu luctu, copioſiſſimâq; funus cohæſtantium multitudîne, in exiguo ſui oratorij, vt viuens petierat, vmbraculo tumulatum; ſuauiſſimo omnium naribus ceu balſami, myrrhæ & thuris odore perfuſis: quæ miræ ſuauiſſimæ fragrantia ad triceſimum uſq; diem apud eius ſepulchrum perdurauit:

vbi

vbi & multa ſunt diuinitus edita miracula. Septem dæmoniaci liberati; triginta claudi; multi cæci & ſurdi; complureſq; alij, variſ, preſſi morbis, ad contactum tumuli eius, præſtante Domino, curati ſunt. Inde verò multo poſt tẽpore, magna cum ueneratione aſſentiente & præſente BONIFACIO Antiftite Moguntinenſi, in Eccleſiam Monafterij tranſlatum, & in ſarcophago honorificè repositum; fuit veterum miraculorum reiteratione, denuò diuinitus glorificatum.

Porrò BENE-DICTINVM inſtitutum poſteris ſeculis mirificè iſdem in partibus auxitidem S. BONIFACIUS, dum præſertim Fuldenſe monaſterium conſtituit, anno ante paſſionem ſuam decimo, vt rotundè loquitur domeſticus hiftoricus Rudolphus, qui fuit ab incarnatione Dominicâ, quartus & quadrageſimus & ſeptingentefimus annus. Iſ enim, quâ religionis incremento, quâ ſuperſtitionum abolitione, iam longû à Thuringiâ Franciâq; viciniâ, progressus erat. Et monaſticen, quam in Angliâ, vnde ortus, à pueris in Ventanâ diœceſi coluerat, item in horridâ hac regione excultum ibat. Ergo gymnaſium animo exſtructum habebat, ex quo ſtatim virtutum auctibus, milites Chriftianos educeret; quorum operâ, & gentili-

F 3

tatis

De Fuldenſi prin-  
cipe Mo-  
naſterio.Lege An-  
tiq. Fuld.  
P. Chriſt.  
Broſſeri  
l. 1. c. 3. ſ.  
2. & 6.Feliciter  
abit è vi-  
tâ.

Miracula.

tatis opes profligaret, & finitimam barbariam, asperitate morū edomitā, ad sanctioris vitæ studium adduceret. Huc priusquam ex Britannia suppetias & auxilia posceret, primo itinere Romā rediens, per Boiariorum fines inde nimirum sobolem seposuit nobili gignendo monachorum armento. Huic prænituit inde beatus STURMIVS; quem S. BONIFACIVS admodum adolecentem Noricā prouinciā, siue Boiariorum, ut vsus tunc habuit loquentium, Christianis & nobilibus ortum parētibus, in hac primū loca perduxit, & Fritislariæ in monasterij ludo, accuratē ab VVIGBERTO erudientum curauit. Porro VVIGBERTVS Anglofaxo, clarā item maiorum stirpe, laborum atq; egregiorum operum se socium iam pridē BONIFACIO iunxerat; illumq; BONIFACIVS Frideflariensi monasterio Abbatem præfecit, quando ipse in Geuilebi locum, Moguntinam sedem Archiepiscopus obtinuit. Habuit istic BONIFACIVS pietatis & vitæ seuerioris officinam. Nam primi inde excursus in Herolfesfeldiam à STURMIO socijsq; ue facti: qui prænobili Abbatæ Hersfeldensi prius originem quoque dedit, quā Bonifacij iussu Fuldæ recessus attentasset. Videns vir beatissimus BONIFACIVS, inquit Rudolphus,

Origo  
Hersfeldensis  
Abbatæ.

« ecclē-

« ecclesiam DEI crescere; & certantibus suis  
dijs, ad vota perfectionis accendi; duplicem vi-  
am ad profectum religionis instituens, monaste-  
ria construere cepit; ut ad fidem Catholicam  
populi non tam ecclesiasticā gratiā, quam monachorum & virginum congregationibus raperentur. Volens ergo vtriusq; professionis ordinem regulariter observari, idoneum viriq; magisterium studuit adipisci; misitq; in Cassinum montem STURMIVM discipulum suum, virum genere & moribus nobilem, ut in monasterio quod B. Pater BENEDICTVS instituit, disciplinam regularem & vitum moresq; monasticos agnosceret, pastoreq; futurus, discipulus fieret; atq; in suā subiectione disceret, quomodo alijs præesse deberet. Addit hinc, pari studio, ab vltima exciuisse Britannia LIOBAM, aliasq; præclaris dotibus & mirificā sanctitate virgines; quas sanctimonialium cætui præficeret. Non dissimulavit item, parens instituti BONIFACIVS, prisicæ disciplinæ seueritatem: quo, Deus bone, viuendū rigore, si sæculi nostri mores huic speculo opponimus? Nam ad ZACHARIAM scribens, in hac vastissimā solitudine, medioq; nationum, quas Euangelij luce collustraret, monasterium cōstruere, monachosq; constituere, ait sibi decretum sub regulā S. Patris BENEDICTI viuentes; viros stricto

4 SUR. 28.  
Sept. c. 10.  
Gize S.  
Lioba.

Prisco-  
rum Be-  
nedicti-  
norū ab-  
stinentia.

abstinentiæ absq; carne & vino; absq; sicca & seruis; propriorum manuum suarum labore contentos. Quibus ex rebus planum fit, ex antè præparato, BONIFACIUM inchoasse monasterij Fuldenſis exordia: & STURMIN non contentus erudiſſe in Frideslarieſis cænobij contubernio, ipſos voluit monaſticæ & luſtrare & deguſtare fontes.

De S.  
Sturmio  
Abbate.

Qui exinde Abbas conſtitutus, prouidâ æconomix curâ memor diſciplinæ Caſſinēſis, omnia ad victum, cultumq; neceſſaria ritè atq; ordine conſtituit, eamq; monaſticæ normam ac viuendi rationem inuexit, vt famâ diſciplinæ ſanè quam florentiſſimæ per moti exteri viciniq; certatim huc pietatis amore confluerent; ſpretiſque, quæ apud mortales prima ſunt, monachorum inſtitutum ipſi, liberiq; ſanctè profiterentur. Præclarum huius rei S. LVDGERVS edit in B. GREGORII ſui magiſtri vitâ testimoniū: STURMI Abbas, inquit, hoc meruit priuilegium à DEO, & ſancto magiſtro, præ cæteris condiscipulis ſuis, vt ipſum locum, quem magiſter ſanctus elegit ad ſepulturam corpori ſuo, poſſidere mereretur, & inſitiare: ac ſanctum corpus eius martyriſtatim in eodem ſuſcipere: & in tantum prouehere, & glorificare eundem locum, vt ante obitum ſuum de hoc mûdo. QVA-

DRINGENTORVM circiter MONA-

CHO-

CHORVM, exceptis pulſantibus, & alijs minoribus perſonis, quorum numerus multiplex erat valde, in ipſo monaſterio, poſito, iuxta ſtuum Fulda, pater extiterit & præceptor.

Cùm etiam veteri Eccleſiæ more, paſſim in Monasterijs ſcholæ haberentur, in quibus ad optimos iuuentutis erudiendæ magiſtros pubes Chriſtiana ventitaret, & à teneris, præcepta morum, doctrinæ ſacræ ac pietatis imbiberet. Meditatus idem in hac Germaniæ prouinciâ S. BONIFACIUS, qui diſcipulorum partim ex Britaniâ ad VVICBERTVM, partim ex Nõrico, vicinâq; Orientali Franciâ, ad STURMIM Abbatem adduxit; eumq; adoleſcentum florem, & ingeniorum præſtantiam, in nouam Buchoniæ ſuæ coloniam inſudit: vt cùm propter & doctorum auctoritatem, & loci exemplum, ex Italia, Britannia, Gallia, varijsq; Germaniæ locis, vndique diſcendi cauſâ ingeniouſi adoleſcentes huc confluerent, breui gymnaſium hic diuinarum iuxta atq; humanarum literarum exiſteret longè celeberrimum; ex quo non perfectæ modò virtutis cænobitæ, ſed gentium nationumq; magiſtri, & quidam Apoſtoli, eccleſiarumq; Præſules, tamquam ex omnium honeſtarum artium & diſciplinarum officinâ prodirent. Hinc Trithemius huiusmodi Fuldam exor-

De Ful-  
denſi  
ſcholâ.

219051  
LIBRARY  
b. S. VII-  
libald. Sic.  
S. Bonif.  
c. 8.

Quadri-  
genti Mo-  
nachi Ful-  
dæ.

e Init.  
Chron.  
Wirsaug.

nat eulogio: *e Viguit eo tempore, in monasterio Fuldensi, maxima religio monachorum, sub regimine Rhabani Mauri Abbatis, qua se per totam Europam, fama prevolante, diffuderat in ora omnium; eratq; laus & memoria Fuldensium monachorum apud Imperatores, Reges, & Principes, in magno pretio, non solum propter sanctitatem vitæ, sed etiam propter incomparabilem scientiam Scripturarum, quæ Fuldenses monachi eo tempore præ cæteris multis dicebantur eruditi. Unde multi ex eis in diuersis ecclesiis ad apicem Pontificatus fuerunt assumpti.* Addiderunt ij etiam ad literarias functiones, quasdam mechanicas, scribendo, operiundo, notando, excipiendo, pingendo, fabricando: ita vt à diuinis laudibus & religionis officijs nihil esset subcessui temporis, quod non vel studijs darent & adparatui ingeniarum artium, vel lectioni auditioniq; diuinarum Scripturarum, vel saltem vtili & honesto manuum labori. Inde igitur oriebantur Magnentij, Strabi, Luitberti, Haimones, Freculphi, & complura alia huius monasterij lumina, vt Vsuardus, VValafridus Strabus, Lupus, Otfridus, VVerenbertus & Helpericus, ambo monasterij S. GALLI aurea quædam sidera, Hartmundus, Probus, Rudolphus, Candidus, Mago, Modestus, Ruthardus, Meginfridus, VVice-  
linus, &c.

De opere  
manuum.

Nune

Nunc indicem subijciam Congregationum & Monasteriorum, quæ Fuldensi Ecclesiæ olim iuncta & adunata fuere. *d*

I. *Principale*, quod vocarunt, *monasterium*, Fuldensis ecclesiæ S. SALVATORIS dicatum aliquot sæculis, præter ceterum, cleri ac canobitarum, gregem, nobilium ordinis tum equestris, tum comitiæ dignitatis frequentia ac splendore conspicuum.

II. *Monasterium montis S. MARIE Virginis* olim *Bischofesberg* extra muros Fuldensis oppidi; opus S. BONIFACII & RATGARII Abbatis, prinâ parochiâ Buchoniæ clarum.

III. *Monasterium montis S. PETRI* prope *Fuldam*; qui mons præcis *Vgelsberge* vel *Hugesberg* beati STURMI exordijs, *Baugulssi* progressu, & RHABANI Mauri perfectis demùm operibus, vitæque istic in otio sancto tranquillæ actâ venerandum, nec non S. LIORÆ virginis patrocinio & miraculis celebre.

IV. *Monasterium montis S. IOANNIS Baptiste* ad Austrum Fuldensis oppidi, RHABANI ite munificentia, & præstantibus Diuorum ossibus ab eodem illatis, clarum.

F 5

V. Mo.

d Antiq.  
Fuld. lib.  
2. cap. 10.  
Monasteria Fuldensi subiecta.

- V. *Monasterium S. ANDREÆ* Apofoli Noui montis prope Fuldam fluuiū, quod RICHARDVS Abbas seculo decimo excurrente ab se affabrè constructum, necessarijs quoq; fundis & opibus auxit.
- VI. *Monasterium S. MICHAELIS* in proximo ædi primariæ colle, quod pro cæmeterij ornamento S. STURMIN inchoasse, legimus.
- VII. *Monasterium S. SOLÆ* siue *Suolonis*, quod Cella vel curia Solæ, id est *Solenhofen* dictum, antiquitūs, Eistatensis diæcesis.
- VIII. *Monasterium S. XISTI* in *Holtzkirchen* inter Mænum & Tuberam in Orientali Francia.

Alia præterea monasteria, olim Fuldenfi Abbati paruisse vetusta literarum monumenta testantur; vtpotè.

- I. *Tharissa* VVirciburgensis diæcesis.
- II. *Amerbachium*, eiusdem diæcesis.
- III. *Bantum* S. DIONYSII in confinibus Franciæ Orientalis situm, inter Liechtenfelsium & Staphelsteinium oppida, in excelso montis vertice.
- IV. *Brettingense* in *Thuringia Hassiæ* iuxta *Vifurgim*.

V. *Brei-*

- V. *Breitenauia* similiter in *Hassia Moguntinæ* diæcesis.
- VI. *Schluchterense* seu *Solitariense*, cum oppido proximè à Fuldensium confinio in *Hanouensium* Comitum ditio-  
ne situm.
- VII. *Sunnfurtense* in oppido cognomine monasterium.
- VIII. *Brustlohense* in *Thuringiâ*; iam Collegialis Ecclesia: locus, cuius solo S. BENEFACIVS olim insitit, quem suis etiam vestigijs consecrauit.

## A Virginibus eiusdem Ordinis olim habitata.

- I. *Canobium sanctimonialium* in *Blanchenau*.
- II. *Canobium sanctimonialium S. LAMBERTI* in *Tolbâ*.
- III. *Canobium sanctimonialium* in *Höchst*, in dominatu *Breubergenfi*.
- IV. *Canobium sanctimonialium* in *Alledorf*, tractu *Saltzungensi*, iuxta *VVer-ram* amnem.
- V. *Canobium sanctimonialium* in *Rhorâ*.
- VI. *Canobium sanctimonialium* in *Zellingen* apud *Mænum*.
- VII. *Canobium sanctimonialium* in *Cellis*.
- VIII. *Canobium sanctimonialium* *Bischofesheimensis*

## 92 DE PROPAGATIONE

*beimensis parthenonis, cui S. LIOBA*  
præfuit, ad Tuberam amnem.

IX. *Cenobium sanctimonialium Martisch-*  
*stadium, in diuione Franconicâ.*

His non immeritò adnumerari possunt:  
I. *S. Crucis* Hunfeldiæ. II. *S. Cæcilia* in Ra-  
tisdorf. III. *S. Petri* in Salismonasterio.  
IV. *S. Bonifacij* in Borslâ, veteres Brustloho  
regione Thuringiæ. & V. *Heyda* monaste-  
rium.

*Lego de*  
*hu Obser*  
*uationes*  
*R P Iaco*  
*bi Grefe*  
*ri ad SS.*  
*Eystett.*  
*Monaste*  
*ria quæ*  
*dam Ey*  
*stettens*  
*diæcessis.*

Nec minus Monasticum institutum pro-  
mouère S. BONIFACII cognati & coop-  
eratores, ab eodem ex Angliâ euocati SS.  
VVILLIBALDVS & VVNIBALDVS;  
quorum ille Monasterium Eichstadij, in no-  
ua sua diæcesi instituit, Monachus ipse. &  
Monastica vitæ ex disciplina Cassinensi ac-  
curatus obseruator & custos: vnde licet  
priùs ille locus planè desertus & solitarius  
esset, mox tamen Monasterio constructo,  
affluentibus vndequaq; qui locum excolere  
& inhabitare cuperent, nata est, quam ho-  
die videmus ciuitas ad Almonium seu Alt-  
mülam fluum, quam à quercubus succisis  
*Aichstadium* quasi oppidum *succifarum*  
*quercuum loco conditum* nominarunt.

Heiden-  
heimium. Hic verò *Heidenbeimensis* monasterium,  
in media Svalafeldia situm, annis auxili-  
que B. BONIFACII, adminiculoq; fratris  
fui

sui VVILLIBALDI, construxit, mona-  
choſq; ex vna parte eiusdem monasterij cõ-  
gregauit; in aliâ verò parte S. Virginem  
VVALPVRGAM, sororem suam, cum  
Sanctimonialibus ipsi subiectis, Deoq; de-  
uotis collocauit.

Intra muros verò ciuitatis Eystettenſis  
est sanctimonialium Monasterium Ord. no-  
stri, S. VVALPVRGÆ nomine, (cuius sa-  
cræ Reliquiæ, illuc translata, perenni clarent  
miraculo) fundatum ab OTKARIO sexto  
Ecclesiæ Eystettenſis Episcopo.

In finibus suburbij Orientalis fuit olim  
Monasterium Scororum, e cum Templo  
formæ cyclicæ & rotundæ, quod à Domini-  
co sepulchro nomen habebat. *e Vide in-  
fra cap 3.*

In eodem Episcopatu Hasenrietanum,  
seu Hernriedense Monasterium fundauit  
CAROLVS Magnus, cuius primus Abbas  
S. DEOCHARVS extitit.

Viget in eodem adhuc Blanckstettenſe.


Cænobia olim Bursfeldensi reformati-  
oni vnita LXXV. recenset Thrithemius: *f f In*  
Monasterium S. MATTHIÆ apud Treue-  
rim; Bursfeldia, S. IACOBI propè Mogū-  
tiâ, Sponheimense, S. IOANNIS in Rinck-  
augia, in Selgenſtat, S. PERTI in Erfordia.  
in Reinhartsborn, in Homburg, in Oldens-  
leuen, in Gerode, in Reinhausen, in Mort-  
heim, in Breidenauu, Lacense, in Tholeia,  
*Chron.*  
*Spon.*  
*In diocæ-*  
*si Mogun-*  
*tinculi*  
*Monaste-*  
*ria.*

Medio-

In diœcesi Treuirensi. Mediolacense, S. MARTINI Treuirensē, ad MARTYRES iuxta Treuirim, in Schouauen, in Grunauen, in Lymburg, in Hirsauuen, in Gottsauuen, in Schöttern, in Albersbach, S. STEPHANI in Herbipoli,

In diœcesi Bambergensī. Montis Monachorum prope Bambergam, in Suartzach, in Vrauuen, in Feielsdorf, in Mönichaurach; S. MARTINI in Colonia,

In diœcesi Coloniensi. S. PANTHALEONIS in Colonia, in Tuitio, in Bruvviler, S. PAULI in Traiecto, S. LAURENTII in Obsburck, in Egmunda, in Stauria, in Liesborn, in veteri Vlsen aliàs in Oldenstatt, VVerdense, in Amesleuen, S. MICHAELIS in Hildesheim, in Marienmönster, in Königslautern, in Iburg, Cismariense, Schumense, Bremense, in Clusa, in Ilfenburg, Mersburgense, in Husburck, in Hildensleuen, in Moningen, Nuenburck, Posamense Abdincouense, in Paderborna, in Rinsdorff, in VVimelburg, in Pegania, Oratorij in Datia, Bergense prope Magdeburgum, in Goseck, in Nauuenburck, Cellæ MARIÆ, quod quondam Eluuerdorff dicebatur, in Ringelheim, in Ballenstar, in Mynda, in Siloha, in Schleichdorff, in Clara aqua. Plerorumq; horum Origines alibi descripsimus, & apud Trichemium passim leguntur; qui etiam complura alia Monasteria enarrat, quæ hîc breuitatis studio consulto præterimus.





esset ignorans: quocirca ei posthac pontificatum adepto nihil antiquius fuit, quàm vt Angli modis omnibus in Reipublicæ Christianæ societatem venirent.

Monachi  
S Benedi-  
cti in Angliam  
missi.

Itaque A. C. DXCVI. misit in Britanniam AVGVSTINVM, MELLITVM, PETRVVM, IVSTVM, PAVLINVM, LAVRENTIVM, IOANNEM, Ordinis S BENEDICTI Monachos integerrimæ vitæ, qui in Cantium delati, ab ETHELBERTO Rege, iam tum BERTHEVORIS, feminae Christianissimæ, & LETHARDI Episcopi sanctis monitis ita bene instituto, vt à Christiano nomine nequaquam abhorreret, perbenignè accepti sunt, quorum prædicatione & hortatu, ille omnium primus, ac deinde reliqui Angli religionis nostræ dogmata integrè receperunt.

Appulsus est autem AVGVSTINVS, ad insulam Cantii, quæ Tanetos nominatur. Hæc ad ortum spectat, patetq; in longitudinem vix milliaria nouem, ac in latitudinem paulò minùs: at postèris annis exclusò paruulo aquæ meatu, quo à continente diuidebatur, nunc bonâ ex parte, terræ coniuncta est. Altera præterea insula ad ostium Thamefis sita est, non multò maior, quam Heppiam vocitant.

Ita AVGVSTINVS de religione benemeritus,

meritus, vtpote qui omnia pericula ac incommoda, præ salute hominum leuia ducebat, Archiepiscopus creatur, qui apud GREGORIVM ita egit, vt sedes Archiepiscopi, quæ iam inde ab initio pietatis Christianæ, LVCI O rege, receptæ. Londini fuerat, Douerniam, quæ hodiè Cantuaria est, translata sit. Londinensis diæcesis post archiepiscopalem sedem inde aliò delatam, MILETVS AVGVSTINI socius episcopus est factus.

At AVGVSTINVS confestim vt Douerniæ sedem posuit, templum quod ibidem magnificum erat, à Romanis, vt fama est, olim suis dijs conditum, CHRISTO dedicauit, in eoq; metropolis pontificis cathedram locauit. AVGVSTINVS item, postquam inter Cantianos, Christianæ religionis fundamentum iecerat, GREGORIVM de instituendis legibus consuluit. Ille verò ita decreuit, vt quæ darentur in rem familiarem, eorù vna pars impartiretur Episcopo, vnde domum haberet hospitalem: altera cæteris sacerdotibus, tertia pauperibus, quarta ad sarta ædium sacrarum resta tuenda: vt sacra fierent eo ritu, qui esset quàm optimus: vt sacrilegus ita puniretur, quò culpam agnosceret, ac si fieri posset, restitueret, quæ abstulisset: vt in contrahen-

Augustinus  
creatur 1. Archiepiscopus  
Cantuariensis.

Leges à S. Gregorio  
Anglis præscriptæ.

dis matrimonijs, liceret Anglis fœminas sibi quarto, siue quinto, nam id certius traditur, cognationis gradu coniunctas, vxores ducere: vt Episcopi ab AVGVSTINO facti, à tribus quatuorue Episcopis consecrarentur. Insuper vt ipse AVGVSTINVS nullum ius in Episcopos Gallorum haberet. Et demum mulier prægnans quæ non esset Christiana, baptizaretur, & enixa non veteri, post XXXIII. aut XLVI. dies, quam peperisset, purgaretur, sed si vellet, antea in templum intraret.

Post hæc, GREGORIUS scripsit literas multò humanissimas ad ETHELBERTVM Regem, quibus eius pietatem maxime collaudauit, quòd Christianum dogma recepisset, hortatusq; est, vt in eo longè sanctissimo vitæ instituto permaneret, quò merito posset à Deo præmium expectare.

Præterea eiusdem AVGVSTINI rogatu, Rex ETHELBERTVS ædem diuis Apostolis PETRO & PAULO posuit, donisq; ornauit amplissimis, deinde ipsius AVGVSTINI & Regum Cantianorum sepulchris insignem. Postea Apostolo PAULO speciatim templum Londini (eam ciuitatem ipse in suam ditionem paulò ante redegerat) extruxit, & diuo ANDREÆ alterum Rocesstræ, ac vtrumq; donarijs ditauit.

Absq;

Absq; ijs, alia id genus quotidie pietatis opera ab eo fiebant, cum AVGVSTINVS qui ad rem diuinam domi forisq; augendam iam pridè animum adiecerat, prospiciens ita breui tempore futurum, vt vita dissolueretur, & veritus ne oues quas diuinà ope, in gregem CHRISTI duxisset, pastore carentes errando in letifera pascua non collaberentur, LAURENTIUM socium virum doctrinâ & moribus clarum sibi successorem delegit, eiq; ipsas oues commendauit, sic se ferè locutus:

LAURENTI, cunctis posthabitis rebus, quæso, vt orando & concionando, sicut bonum decet episcopum, saluti hominum tibi consulendum constituas.

Haud multò post vir sanctissimus mortem obiit, post annum, quàm sedere ceperrat, quintum decimum. Corpus in æde Apostolorum PETRI & PAULI, etsi nondum perfectâ, sepulturæ datum est; anima verò laborum suorum mercedem in cælo habitura, ad Deum patrem nostrum læta redijt, id quod satis omnibus reipsâ latere potest, quando per AVGVSTINVM Anglorum Apostolum (sic enim Angli vocabant) in dies singulos, plura miracula eduntur.

MELLITVS verò Londinensis Episcopus Londi-

G 3

Augustini oratio ad Laurentium successorem à se delectum.

nenfis  
Episcopi  
gesta.

scopus institutus **SIBERTVM** Orientalium Saxonum Regem baptismi vnda salutari perfudit, in cuius tribus filijs nihil sancti, nullus Dei metus, nulla religio erat, abhorrentibus in primis à nomine Christiano: nam eò insanitè venerunt, vt eucharistiam contemptui habentes, illotis, vt dicitur, manibus capere vellet: quam cum **MELLITVS** Episcopus negaret se posse illis dare, qui prius non essent sacro baptismate ablu- ti, cum ex regno exire iusserunt. **MELLYTVS** ita expulsus, Cantuariam ad **LAVRENTIVM** Archiepiscopum appropreat. Hic cum aliquandiu boni antistites vt ignari quod agerent, inter se cogitassent, quo pacto religionem passim cadentem subleuarent, ad extremum deliberarunt, effrenatè potius tyrannorum impietati cedere, quam frustra tot incommoda capiundo, nihil præstare, quod è Republicâ Christianâ esset. Itaque **MELLITVS** cum **IYSTO** Rocestrensi Episcopo, in Gallias quam primum transiit.

Interea **ETHELBERTO** Cantij Regi ad superos translato, successit **EDBALDVS** filius, admodum puer: qui ideirco vbi pro suo iure viuere cæpit, patris salutaria oblitus præcepta, se dat ad exercendum in cunctis vitijs, ad primum omnium nouercam in-

matri-

matrimonium ducit, deinde Christianam religionem ab se spretam repudiat, infectatur, ac tanquam pestem abhorret. Quo fiebat, vt multi partim metu regio, partim fraude insana optimum vitæ institutum mutarent, quamuis **LAVRENTIVS** Archiepiscopus non desisteret populum hortari, vt in eo permaneret, cui ob id Rex vehementer succensebat. At bonus antistes diu patienter iniurias tulit, sed ad extremum, cum animaduerneret, odio tyranni in dies singulos in Christianos crescentem, se tantum concionando, benedq; monendo, operam ludere, statuit abire, & sequi in Gallias **MELLITVM** & **IYSTVM** Episcopos. Verum illum ad iter se expedientem **D. PETRVS** per quietem reprehendisse, flagellisq; affecisse, dicitur, quòd immemor mandati **AVGVSTINI**, vellet ob metum supplicij, relinquere suum gregem lupis rapacibus iugulandum: quâ re territus, consilio repente mutato, ab incæpto desistit. Quod vbi **EDBALDVS** rescivit, miraculo motus, veniam à **LAVRENTIO** petijt, repudiatq; protinus turpi connubio, ad sanitatem redijt, baptizatusq; est, **MELLITVM** & **IYSTVM** reuocauit, & deniq; ita vitam correxit, vt iuuentutis vitia illi bono fuisse, respectum sit. At Londinenses, qui adhuc ido-

Laurentij  
pastoralis  
sollicitu-  
do.

liberatis

lis seruiebant, MELLITVM recipere noluerunt. Quà de causâ, ille in Cantio permanfit, qui haud multò pòst mortuo LAV-  
RENTIO, Archiepiscopus est creatus ab AVGVSTINO tertius Cantuariensis antistes. Is cùm benè multa edidisset miracula, post quartum deinde annum, quàm sedere cæperat, è vitâ in cælum migravit.

MELLITVM IUSTVS verè iustus se-  
cutus est. In Londinensem Episcopatum, MELLITO successit CEDDAS, D. CEDDÆ frater: CEDDÆ VVINAS, VVINÆ ERCHENVALDVS pater, sanctissimus. Is vt tandem sua bona ac fortunas omnes in religionis communionem conferret, duo ædificauit Cænobia, alterum BENEDICTINORVM monachorum, ad Cherteseium pagum, Surre comitatus: alterum monacharum Barchyngij, in pago ad ripam Thamefis sito, qui est ad orientem solem, distatq; à Londino passuum millia circiter septem.

IUSTVS Cantuariensis antistes discessit è vitâ, post multa passim opera, ad amplificandam religionè ab eo facta; qui paulò antè crearat PAVLINVM Eboracensem Episcopum, qui eius socius cum MELLITO missus à S. GREGORIO, diu antea in insulam venerat, deditq; illi negotium docendi

cendi Euangelij inter Northumbros, quod vti alibi dicitur, diligenter benedixit; gessit.

Sanè creandorum Episcoporum potestatem BONIFACIUS Romanus Pontifex, vti V. Beda testatur, IUSTO paulò antè dederat. Et postea HONORIVS Romanus Pontifex, mittens pallium HONORIO Cantuariensi antistiti, illud ipsum confirmavit, concessitq; vt quoties Archiepiscopus Cantuariensis seu Eboracensis mortuus esset, & sedes alterutra quoquo modo vacaret, alter superstes alterum in demortui locum surrogatum consecraret, ne, si id muneris à Romano Pontifice, aut à Gallicanis Archiepiscopis peteretur, religio in Anglijs recens nata intereà damnum faceret.

Successit IUSTO HONORIVS, HONORIO THEODATVS & THEODATO THEODORVS ab AVGVSTINO scriptimus. Is suo fungens officio, primo quoque tempore conuentum Episcoporum, aliorumq; sacerdotum celebravit, in quo permulta decreta constitutaq; sunt, quæ cuiusq; ordinis hominibus ad benè beateq; viuendum conducerent. Capita actarum rerum eiusmodi V. Beda & ponit: ex quo non est, quòd ipse describam.

Post aliquot annos THEODORVS Archiepiscopus alterum conuentum multo-

Cantuariensium Archiepiscoporum privilegia.

Alij Archiepiscopi.

b Hist. Angl. lib. 4 cap. 5. Synodus Theodorici celebrat.

Mellitus tertius Archiepiscopus.

Iustus ob quartus.

Monasteria ædificata.

rum Episcoporum egit, in quo status religionis & ordinis sacerdotalis quasi de integro fundatus, ac collocatus est: siquidem tum primum Anglicana Ecclesia illa quatuor sacrosancta Concilia apud Græcos, olim habitata recepit, quibus multijuges hæreses ex agro Christiano auulsæ sunt.

Post THEODORI Archiepiscopi è vita excessum, in eius locum BRITHOVALDVS ex Anglorum gente, primus, antea omnes Itali fuerant, surrogatur, ordine antistitum octauus, & æquæ ac prædecessores Monachus & Abbas Ordinis S. BENEDICTI.

Nunc insignia quadam Angliæ Monasteria enumerabimus, è quibus *Albanense*, inquit Nicolaus Harpessfeldius, *e propter protomartyris nostri ALBANI nobile eo loci martyrium, sacrasq; etiam ibi reconditas reliquias, canobium reliquorum semper principis habitum est: ita Westmonasteriense, post illud posterioribus sæculis maxime eminebat.*

Porro WESTMONASTERIUM apud Londinum Angliæ metropolim est situm. Hic locus in primis Regum sepulchris nobilissimus, vulgò *Westmonasterium* vocatur, quòd ad Occidentem spectet, qui *West* Angliis dicitur: quem præterea, vi-

eius, & proximè regiæ ædes, ac monachorum familiæ D. BENEDICTI canobium, unde monasterium est dictus, item ædes ornatissima D. STEPHANO dedicata, & asylum noxiorum perfugium, atque forum ad ius dicendum, causaliq; agendas, decorant, longèq; celeberrimum reddunt. De primâ eius origine hæc leguntur.

In primâ enascentis Ecclesiæ apud Britannos infantia, imperante Antonino Pio, templum Apollinis, ad occidentem vrbis Londini partem, ubi hodie cernitur. WESTMONASTERIUM, terræ motu corruit.

Ex eius ruinis LVCIVS Rex Britannorum, qui Romanorum permisso hic regnavit, ad CHRISTI cultum anno salutis CLXX. Ecclesiam erexit, quæ postea, cum persecutionis tempestas sub Diocletiano Britanniam peruassisset, penitus subuersa est. Locus iam inde diu neglectus, & spinis obsitus iacuit, vnde ab Anglosaxonibus *Thonne* & *Thorney* dictus erat: donec SEBERTVS Rex Orientalium Saxonum siue Essexiæ, & Middlesexiæ, qui primus inter eos CHRISTO nomen dedit, eò loci Monasterium CHRISTO & B. PETRO, A. C. DCV. posuit: vnde ab acciduo situ & Monasterio

(vti suprâ monuimus) *Westmünster* nominari capit.

De ecclesiâ S. PETRI eiusdem, Monasterij factâ diuinitus dedicatione, mirandum quid narrat *Ealredus Abbas*, & vbi inter cætera hæc habet: *Nocte dedicationem eiusdem ecclesiæ procedente, piscatori cuidam Thamesis fluiui, qui idem monasterium præterfuit, vltiori ripâ in habitu peregrino beatus PETRVS apprensus, promissa mercede, transponi se ab eodem & petijt & promeruit. Egressus autem de nauicula, ecclesiâ piscatore ceruente, ingreditur. Et ecce subito lux caelestis emicuit, miroq; splendore illustrans omnia, noctem conuertit in diem. Adfuit cum Apostolo multitudo ciuium supernorum ingredientium, melodiaq; caelestis insonuit, indicibilis odoris fragantia naves perfundebat. Peractis autem omnibus quæ ad ecclesiæ dedicationem spectant, solemnibus, redit ad piscatorem piscium Piscator egregius hominum. Et post nonnulla: Manens autem factis, Episcopo MELLITO ad dedicandam ecclesiâ procedenti, cum pisce piscator occurrit, & omnia quæ sibi mandata fuerant, pandit. Super Antistes, referatisq; Ecclesiæ valuis, videt pavementum vtriusq; alphabeti inscriptione signatum, parietem bisseis in locis sanctificationis oleo linitum, totidem cereorum reliquiis duodenis Crucibus inherere, & quasi*

Miraculoſa Eccleſiæ S. Petri dedicatio.  
d. In Cit.  
S. Eduar.  
ap. Sur 5.  
San.

quasi recenti aspersione adhuc cuncta madescere. Quod videns Episcopus, unâ cum populo DEVM benedicebat, & illi gratias referebat.

Sed cum dictum Monasterium Danico furore prostratum esset, DVNSTANVS Cantuariensis Archiepiscopus, fauente, EADGARO Rege id renouauit, & pauculis monachis concessit. Postea EDVARDVS Rex, cognomento Confessor, sibi in sepulturam, BENEDICTINIS Monachis in Monasterium, ex decimis omnium suorum redituum, magnificè construxit, & patrimonijs totâ Angliâ dispersis ditauit.

Iam indè hoc Monasterium, cum Regum Angliæ inauguratione & coronatione, tum etiam sepultura, & Regalium ornamentorum repositione, longè fuit celeberrimum. Verùm post CLX. annos; hanc S. EDVARDI fabricam subuertit HENRICVS III. nouamque Ecclesiâ speciosâ structurâ, multiplici marmorearum columnarum ordine, tecto laminis plumbeis conuestito, quinquaginta annorum opere, ipse primus ponens lapidem anno M. CCXX. exædificauit. Quam Abbates ad Occasum plurimum auxerunt. HENRICVS autem

Reparaturâ S. Dunstano.

S. Eduardus Rex illi mirificè auget & locupletat.

VII. anno MDII. in suam fuorumq; sepul-  
turam ad Ortum, Sacrarium admiranda e-  
legantia (Orbis miraculum vocat Selan-  
dus, omnem enim elegantiam in illo acer-  
uatam dicas) impensis 14000. librarum.  
Anglicarum adiecit: in quo sepulchrum  
eius splendidissimum, & maximum ex aere  
solido hodieq; cernitur.

Expulsis postea monachis per Henri-  
cum VIII. Angliæ Regem, cum ab Ecclesiâ  
Romana descivisset, Canonici sunt substi-  
tuti, sed à sacris Ecclesiæ Romanæ alieni,  
qui coniugati & ritu Anglicano viuentes,  
etiannum VVestmonasteriense. Cano-  
bium incolunt, cum Scholasticis quadra-  
ginta, quos Alumnos Regios vocant.

CROLANDIÆ Monasterium hac oc-  
casione fundatum est. Nam cum is locus  
admodum palustris inter Elym insulam, &  
Nynam flumen, olim circiter annum salutis  
DCXCV. capisset esse celebris, ob memoriã  
D. GYTHLAGI monachi, vbi ille diu habi-  
tauit, & sepultus est; postea mortales mira-  
culis eo loci editis adducti, Cænobium mo-  
nachorum ordinis D. BENEDICTI ad  
ipsum Nynam posuerunt, religione storen-  
tissimum.

S. EDMUNDI Monasterium eiusdem  
Ord. conditum, ei que dedicatum est ab

ALSVINO eius regionis longè sanctissimo  
Episcopo, in oppido Suthfoliciæ comitatus,  
quam vocant BVRIAM, vbi corpus dicti S.  
Regis & Martyris conditum, benè multis  
claret miraculis.

OFFA Rex Merciorum reliquias cor-  
poris D. ALBANI magno studio perquisi-  
uit, easque inuentas ac in scrinium auro &  
gemmis ornatum coniectas, locauit in Cæ-  
nobio, quod ipse D. ALBANO posuerat,  
illudq; magnis collocupletauit possessioni-  
bus, vbi etiam loci statuit familiam mona-  
chorum D. BENEDICTI. Circa A. C.  
DCCIII Huius quoque Regis opus esse fe-  
runt Cænobium monachorum eiusdem or-  
dinis, quod est Bathoniæ.

VINCHELCUMBÆ, templum egre-  
gium, cum cænobio ædificauit Rex CE-  
NVLPHVS, idq; habitandum dedit mo-  
nachis ordinis D. BENEDICTI, ac bene  
multis prædijs ditauit.

OSWIVS Merciorum Rex, condidit  
cænobium, circa A. C. DCC. quod est ad  
VVITBY pagum, ibiq; monacharum col-  
legium instituit, cui præfecit CONGILDAM  
sanctissimam mulierem, eiq; in disciplinam  
dedit filiã nomine EDELFREDAM, quæ mo-  
nacha facta est. Verum longo post tempore  
cænobiũ istud à barbaris dirutum monachi

D. Alba-  
ni.

Bathoni-  
cæ.

Vinchel-  
cumbæ.

Witby-  
ense.

Canoni-  
cis coniu-  
gatis sub-  
stituitur.

Crolan-  
diæ cæ-  
nobium.

S. Ed-  
mundi.

BENEDICTINI instaurarunt, habuerūtque. Ex eo postea loco extiterunt monachi præstantissimi, qui deinde cænobium illud magnificum diuæ Virginis MARIÆ dicarum proximè mania Eboraci posuerunt, quamvis sint, qui opus assignent Alano Richemondia Comiti: sed illud haud scio, quàm verè.

ELYNGENSE Cænobium, e in insulâ, quam Elym nominant, autore D. AUGUSTINO Archiepiscopo, sumptibus ETHELBERTI Regis Cantiani conditum, ac D. Virginis MARIÆ dedicatum tradunt, eoque loci collocatum monachorum ordinis D. BENEDICTI collegium, circiter annum salutis humanæ DC.

Verùm deinde cùm Penda Merciorum tyrannus, in Orientalibus Anglis vastas solitudines fecisset, cænobium quoque illud euersum est, quod ETHELDREDA Regina instaurauit, atq; in eo monacharum collegium instituit, cui ipsa præfuit, & demùm mortua in diuorum numerum adscripta est. At postea circiter annum salutis DCCCLXX. Dacis, duce Agnero, in Anglos Orientales debachantibus, & aras omnes & templa funestantibus, cænobium rursus complanatur, quod paucis post annis nonnulli boni patres presbyteri refecèrunt, sacer-

facerdotumque collegium in eo instituerunt.

Hos postremò circiter annum salutis humanæ DCCCCLXX. S. ETHELVOLBUS monachus Vintoniensis Episcopus, cùm apud EDGARVM Regem, tum apud IOANNEM XIII. Romanum Pontificem, inde deijciendos, atq; rursum monachos introducendos curauit.

GLASCONIENSE magnificum templum, cum nobili cænobio monachorum, familiæ D. BENEDICTI, extruxit INAS Occidentalium Saxonum Rex, idemq; prædij ditauit amplissimis: quod cùm singulari hospitalitate, tum monasticæ vitæ obseruatione, facile cunctis præstitit. Eo loci, vt fama est, Ioseph ille, qui teste Matthæo Euangelista, ab Arimathæa ciuitate oriundus, CHRISTI corpus sepeliuerat, cùm siue casu, siue consilio, ita volente Deo, cum non paruo comitatu, in Britanniam venisset, vbi tam ipse, quàm eius socij, cùm de Euangelio prædicarent, atq; dogma CHRISTI sedulo docerent, multi per hæc ad veram pietatem traducti, salutiferaque fruge imbuti, baptizati essent, & ipsi à Rege parum terræ ad inhabitandum proximè Vuelliam oppidum circiter millia passuum quatuor dono accepissent, ibi noua religionis

Glasconienſe.

S. Mariæ  
Eboraci.

e Polid.  
Verg hist  
Angl 14  
Nic. Har-  
pest. hist.  
Eccl.  
Angl. sec.  
7. c. 14.  
Elyngense.



prima iecerunt fundamenta paruulo fa-  
lo condito. Quare arbitror INAM ob eius  
rei celebritatem, illud ibidem cœnobium  
posuisse.

D. Benedi-  
cti  
North-  
folchiæ.

NORTHFOLCHIE Cœnobium ex-  
truxit CANVTVS Angliæ Daniæq; Rex,  
qui obiit A. C. MXXX. intra paludes,  
quod vocatur D. BENEDICTVS, vbi lo-  
ci antea eremitarum facellum positum fue-  
rat: distat locus à Nordouico, circiter mil-  
liaria septem.

Euesha-  
mensis.

EUESHAMENSE Monasterium ope,  
auxilioque COENREDI regis exstruxit B.  
EGWINVS, & fuerat ibi quidem olim Ec-  
clesia à Britannis posita: hunc locum licet  
spinis, vepribusq; oblitum, quia tamen in-  
solitudine procul ab hominum oculis con-  
fortioq; positus erat, EGWINVS in deli-  
tibus habuit, ibi diem, noctemq; in ieiunijs, o-  
rationibus, sanctisq; meditationibus transi-  
gere solitus. Quibus sanctis exercitijs dum  
se totum aliquando dedisset, ecce B. Virgo  
MARIA, CHRISTI mater, cum duabus  
alijs virginibus, omnem humanam speciem,  
pulchritudinemq; superantibus, se illi vi-  
sendam obtulit, librum & crucem manu ge-  
stans, quâ cruce EGWINVM adorantem  
benedixit. Ex hac maximè causâ cœnobi-  
um BENEDICTINORVM hoc potissi-  
mum

B. Virgo  
apparet  
B. Egvi  
no.

mum loco à fundamentis erexit. Quod  
COENREDVS Rex Merciorum, & Rex  
Orientalium Anglorum OFFA, varijs pos-  
sionibus locupletarunt: CONSTANTI-  
NVSQVE deinde Romanus Pontifex cum  
EGVINO, COENREDO, atq; OFFA  
præsentibus, Romæ ad annum septingente-  
simum octauum apud Lateranum confirma-  
uit. Extant \* hodie CONSTANTINI,  
EGVINI atq; COENREDI scripta, in  
quibus de commemorata B. MARIE ap-  
paritione fit mentio.

\* apud  
Ioannem  
Capgra-  
uium in  
Catal. SS.  
Angl.

TEUCHESBURIÆ cœnobium, ad  
confluentiam Diuonæ & Sabrinæ flumi-  
num condidit disciplina BENEDICTI-  
NORVM ODDO & DODDO, primarij  
quidam viri in Mercia, ad tempora ETHEL-  
REDI, & ETHELBALDI Mercij Regum,  
circa A. C. DCLXXX.

Præter ista Cœnobia, ex primâ antiqui-  
tate maximè floruerunt SS. SALVATO-  
RIS & AVGVSTINI Cantuariensis, Mal-  
mesburiensis, Adestancastrensis, Nuthstel-  
lanam, Stamphordiensis, Rhipensis, VVio-  
rensis duo, VValdtheimensis, Conuentren-  
sis. Deinde Petroburgensis, S. PANCRATI  
Londini, Fenelochensis, Theodforden-  
sis, Radingensis, S. MARIE Eboracensis,

Pontisfracti, Fontanenſe, Dunelmene, Medeshamſtedenſe.

Hæc pauca è pluribus hîc commemorare libuit; fuerunt enim quàm plurima olim in Angliâ Benediclinorum Monasteria, quorum originēs ac progressus Guilielmus Malmesburiensis & alij rerum Anglicarum Scriptores fusè commemorant.

Aliud ornamentum, quod Angliâ Benediclinis debet. nequaquam silētio transmittendum; nam, uti Thomas Bozius *f* doctissimè refert, nisi AVGVSTINVS Romanus ex ordine S. BENEDICTI prodixisset, nullo haberet Anglia scriptores. Ac nisi BEDÆ res Anglicas scriptis consignasset, Anglica nobilitatis illustrissima facta altissimis tenebris sepulta prorsus laterent.

Quamobrem Anglia, quòd postea claros semper doctrinâ viros tulerit, haud dubiè Benediclinis, & SIGBERTO Orientalium Anglorum Regi, (qui purpuram in cucullam Benediclinam post mutavit, & in cænobium se abdidit) cum primis acceptū referre debet, utpote qui in ea literarū fundamentum primus iecerit. Nam idem princeps sapientissimus sciens nihil æquè esse hominibus ornamento, ac litteras, & eas quidem per id tempus in insula valde raras, hortante FELICE Episcopo, natione Burgundione,

gundione, viro doctissimo, scholas passim in suo regno posuit, in primis CANTABRIGIÆ, ut pueri ab ineunte statim ætate erudirentur: qua re breui multi mortales doctissimi euaserant, floruitq; deinde Cantabrigiæ gymnasium bonarum omnium disciplinarum perpetuò. Fuit is annus salutis DCXXX.

Monachos verò prælectionibus artium liberalium præfectos fuisse, possumus cognoscere ex vetusto quodam monimento, quod est huiusmodi: *Transmisit Abbas Iofredus ad Manerium suum de Contenham iuxta Cantabrigiam GISLEBERTVM commonachum, & Sacre Theologie professore, cum alijs tribus monachis, qui secuti sunt, cum in Angliam Philosophicis theorematibus, & alijs scientijs primitiuis instructissimi, quotidie Cantabrigiam aduenies, & conducto quodam horreo publico, suas scientias palam profitentes, in breui temporis excursu grandem discipulorum numerum contraxerunt. Anno vero secundo aduentus illorum, in tantum accreuit discipulorum numerus, tam ex tota patria, quam ex oppido, quod qualibet domus maxima, horreum, nec ulla ecclesia sufficeret eorum receptaculo. Vnde diuersis in locis a se diuisi, & formam Aurelianensis studij sequuti, summo manè frater ODO Grammaticus, & Satyricus singularis, pueris*

Cantabrigiense  
studium.

*f* Lib. 6.  
cap. 8. de  
ſeignis Ec  
clesiæ.

Scholarū  
& Academi-  
arum  
in Angli-  
a auctores  
Benedic-  
tini.

& iunioribus sibi assignatis legebat Grammaticam iuxta Prisciani doctrinam, & Remigij in eundem.

Ad horam verò primam TERRICVS acutissimus Sophista Logicam Aristotelis iuxta Porphyrij & Auerrois Isagogas, & commenta adolescentibus tradebat. Ad horam verò tertiam frater WILHELMVS Rhetoricam Tullyj, Quintilianijq; flores perorabat: Magister verò GISLEBERTVS omnibus Dominicis diebus, & Sanctorum festis, verbum DEI ad populum predicabat. Ex isto itaq; fonte paruo, qui creuit in fluum magnum, videmus nunc latificatam ciuitatem Dei, & totam Angliam factam frugiferam, per plurimos magistros, Doctoresq; de Cantabrigia exeuntes ad similitudinem sancti Paradisi.

Nec minor laus debetur NEOTO Beneficinz professionis viro sanctissimo, quem Aluredus Angliæ Rex ob eximiam eruditionem miro amore complexus est, ac eius hortatu. Oxonij gymnasium instituit, A. C. DCCC. XCV. propositâ mercede omnibus, qui publicè bonas artes profiterentur, quò multi doctrinâ clari confluerunt, docendi gratia. Certè Polydorus Vergilius & de Academia Oxoniensi ita scripsit.

Hæc statim à principio, tum diuinarum humanarumq; literarum studijs, tum mira homi-

hominum in doctrinas incumbentium frequentia multò celeberrima esse cæpit, deincepsq; vsque eò floruit, vt jam facillè cum quouis alio totius orbis gymnasio de nominis gloria certare posset: in quâ Scholastici ipsi, vt cuiusdam religionis obseruatione, à primo imbuti, neutiquam minùs animos bonis moribus, quàm literis excolunt: habent enim cænobia magnifico apparatu cõstructa, multorumq; cum episcoporũ, tum regum, hominumq; nobilium, ac fæminarum probatissimarum muneribus opulentissima, quæ collegia vocitant, quò eorum collegiæ eo loci collocata sint; quorum magistri sunt viri doctrinâ in primis probati, & honesti. Igitur ibi cum abundè suppeditentur facultates, communiter viuunt, ac quotidie benè mane, aut rem diuinam faciunt, aut sacris intersunt, quàm ad rem literariam aggrediantur: atq; ita Deum cum primis venerantes, sese castissimo simul viuendi genere, & doctrinarum omnium studijs exercent, vnde iugiter singulari pietate & eruditione viri, velut ex quodam totius orbis amplissimo disciplinarum theatro, existunt, qui tam piè, quàm vtiliter nunc docendo, nunc scribendo, mirum in modum rem Christianam iuuant, celebrant, tuentur.

Ad calcem subscribendos censui versus

Oxonienſe Gymnaſium.

g Hiſt. Angl. lib. 5.

Laudabile ſtudioſorum vtriusq; inſtitutum.

h Lib de  
laude SS.

S. ALDHELMII Episcopi, qui claruit statim post illorum Angliæ Apostolorum tempora, & obiit A. C. DCCIX. (haud dubium, quin, & ipse puer, adhuc S. GREGORII discipulis vsus sit magistris; & mox monachali habitu indutus, temporis inde processu adulescens, ipsorum vitæ institutum amplexus) in gratiam illorum, qui in dubium reuocare voluerunt eorundem Benedictinam professionem: vbi sic canit.

\* Benedi-  
dicti.

Huius \* alumnorum, numero glomeramus  
ouantes,

Quos gerit in gremio facunda Britannia  
cuius.

A quo iam nobis baptismi gratia fluxit,  
Atq; magistrorum veneranda caeterua currit.

Hos versus integros inuenies apud Henricum Canisum, & nostrum Reuerendissimum D. Constantinum Caietanum, & cuius doctissimus liber de tota hac controversia prodijt, cum hæc iam scripsissemus; dignus sanè lectu, & in quo complura abstrusa, & non vbiuis obuia reperire licet.

i Tom. 5.  
antig lect.  
k Lib. 2.  
c. 4. pro  
Ioan.  
Diac.

CAP.



## CAP. VIII.

QVA RATIO-  
NE REGVLA  
S. BENEDICTI IN BRI-  
TANNIAM, SCOTIAM, BVR-  
gundiam, & Vicinas regiones sit illata,

Item de S. COLVMBANO,  
eiusq; discipu-  
lis.



IN Britannia quoq; & Scotia (quo nomine tunc Hibernia dicebatur) Benedictinam Regulam ab ipsis Magni BENEDICTI discipulis propagatam credi potest, & hoc innuere videntur verba Petri Diaconi dicentis: *Sub Valentiano Abbate* (fuit is ipse, qui cum alijs Magno GREGORIO vitam S. BENEDICTI narrauit Lateranensis tunc Abbas) *Britannia & Scotia Ordo ostenditur.* Agebatur tum fortè annus

Quo anno in Britannia & Scotia Benedictini esse cepissent.

circa

circiter DXC. De multitudine autem monachorum illius insulæ inuat nostri B. Bernardi verba audire, dum de Monasterij Benchorensis restauratione agit: *a* Nempè nobilissimū extiterat antè sub primo patre CONGELLO multa millia monachorum generans, multorum monasteriorum caput. Locus vero sanctus facundusq; sanctorū, copiosissimè fructificans DEO, ita ut vnus ex filijs sancti illius cōgregationis, nomine LVANVS, centum solus monasteriorum fundator extitisse feratur. Quod idcirco dixerim, ut ex hoc vno conijciat lector, quā ingens fuerit reliqua multitudo. Deniq; ita Hiberniam, Scotiamq; repleuerunt genimina eius, ut ea potissimum tempora Dauidici illi versiculi præcinnisse videantur: *b* Visitasti terrā, & inebriasti eam, multiplicasti locupletare eam. Flumē Dei repletum est aquis, parasti cibum illorum, quoniam ita est præparatio eius. Riuos eius inebrians, multiplica genimina eius: in stillicidijs eius lætabitur germinans. Et in hunc modum ceteris qui sequuntur. Nec modo in præfatas, sed in exteris etiam regiones, quasi inundatione facta, illa se sanctorum examina effuderunt. Et quibus ad has nostras Gallicanas partes S. COLVMBANVS ascendens, Luxouienſe construxit monasteriū, factus ibi in gētem magnā. Aiunt tā magnā fuisse, ut succedentibus sibi vicissim

cissim choris, continuarentur solēna diuinorū, ita ut ne momētū quidē diei aut noctis vacaret à laudibus. Hæc de antiquæ dictæ sine Benchorensis monasterij gloria. Hæc olim destructum à piratis, ob insigne dignitatis antiquæ MALACHIAS, veluti quandam replantaturus paradysum, amplexus est, & quia multa corpora sanctorum dormirent ibi. Nam ut taceam illa, quæ in pace sepulta sunt, ferunt, nongentos simul vna die à piratis occisos. Hucusq; S. Bernardus.

Prædictus autem S. COLVMBANVS, ceterique monachi eius commilitones ex harum regionum partibus digressi, in Galliam, Germaniam, & in Italiam venientes, nullam aliam præter S. BENEDICTI Regulam (ut noster Perillusstris ac Reuerendissimus D. Constantinus Abbas Caietanus, S. D. N. à Sacris literarum monumentis, singulari cōcertatione satis fusè, & doctissimè demonstrat) proficiebantur.

Porrò COLVMBANVS in Hyberniâ, regione Lagenorum, ex nobilibus parentibus procreatus fuit. Eum mater vtero adhuc eum gereret, velut solem procedere, nimioq; fulgore vniuersum orbem implere, per somnium vidit. Litteras puer didicit. Adolecens Senilem, virum religione & scientiâ eo tempore facillè principem, in Scripturis

Res à S. Columbano gestæ.

*a* In Vita S. Malachi. c. 7.

Vnus LVANVS centum Monasteria fundauit.

*b* Psal 64.

Diu notuè continuata diuina solennia.

pturis sanctis magistrum habuit. Itaque profecit, ut intra ipsos etiam adolententiae annos in Psalmorum librum, doctissimos commentarios, pluraque alia ederet. Porro Monasticae vitae desiderio inflamatus, obnitente licet matre vidua, ad Benchorensis Caenobii confugit, atque a beato COMMOGELLO Abbate in monachum attonsus, cum & Evangelij Dei, & salutis animarum zelo appresse arderet, obtenta demum ab Abbate licentia, duodecim ex eodem Collegio socios accepit, & in Britanniam, mox etiam in Galliam traiecit. Vbi cum annis multis gentilium conuersioni fructuose admodum incumberet, Monasteria diuersa erexit; atque in primis *Luxonium*. Cuius rei fama cum percreuisset, multi undique eod aduolare, & religionis studio sese dicere ceperunt: ita ut in eum numerum monachorum frequentia excreseter, ut vnus monasterij collegio vix contineri posse viderentur. Accurrebant undique etiam nobilium filij, ut spretis mundi huius oblectamentis, diuitijsque calcatis, aeterna praemia capescerent. Cernens autem beatus COLUMBANVS vltro citroque homines ad penitentiae remedia aduolare, nec vnus caenobij limitibus tantam multitudinem absque multa difficultate comprehendi posse: Quamuis enim

Luxoniense Monasterium.

animus

animus vnus & cor vnum esset omnium, non tamen id tantae multitudinis conuersioni congruum videbatur) alium inquit locum, quem aquarum copia ornaret. Quo reperto, aliud illic monasterium aedificauit, quod *Fontanas* voluit appellari: eius Praepositos & gubernatores, de quorum religione nemo dubitaret. His ergo in locis cum monachos instituisset, ipse vicissim illis aderat, canonemque siue regulam, quam sequerentur, spiritus sancto plenus condidit: ex cuius lectione prudens lector vel auditor facile potest animaduertere, quanta viri sancti fuerit disciplina.

Fontanense.

Ne autem quis putet regulam illam specialem fuisse, & diuersam a S. BENEDICTI (quod quidam magni nominis viri dicere non dubitarunt, quibus & nos aliquando assensu sumus) ecce verba praefationis, illis Regulis praefixae proferimus, ut in antiquissimis MSS. codicibus habentur, quibus & nos & alij viri clarissimi, qui eadem nobiscum legerunt, persuasi sumus sententiam mutare, & regulas illas nil aliud credere, quam constitutiones quasdam particulares, quae in illa congregatione praeter Regulam S. BENEDICTI obseruarentur, ut Casinensium, Cluniacensium, Cisterciensium, Hirsaugiensium, Bursfeldensium & aliarum complurium

Regula S. Columbaniqualis.

plurium congregationum statuta, quæ propterea diuersum ordinem, licet aliquando ita vocentur, non efficiunt: verba sunt ista.

*Incipit præfatio Regule Cænobialis Patrum de Hybernia subsequæntis.*

*Equidem S. P. BENEDICTVS in hanc Regulam qualitate ordinis penitentia modis instituit. Sed vnde de quibusdam causis intimaui, dicens: Si quis hoc aut illud perpetraverit, disciplina regulari subiaceat. Ipsius quippe disciplina mensuram in arbitrium Abbatis iudicandum permisi. Quia dum qualitatis morum vel penitentiarum innumerabilis est diuersitas, potuit ei fieri in arbitrium onerosa prolixitas. Etenim ipse per humilitatem spiritus præcedentium Patrum discipline auctoritatem recipit: quia, ut fertur, omnium Sanctorum spiritu plenus fuit. Igitur de eadem emendatione disciplina quibusdam verbis instituta subter inserta neciuntur.*

Sequitur Regula ad verbum, vti alibi nomine S. COLVMBANI inscripta & impressa circumfertur.

\* Ecce isti SS. PP. se à S. BENEDICTI Regula non eximunt, quos alij tanta contentione subtrahere conantur. Quæ quidem hic inferere necessarium duximus, ne aliqui

Sensus obliturus, & scilicet deprauatus; sed nihil mutatum est.

Hyberniae Monachi future Benedictini, ex propria confessione.

aliqui sibi ipsi scio, nos peregrinis ornamentis abuti velle, frustra calunnientur. Sed ad institutum redeo. Ipse COLVMBANVS tentationes grauissimas, in solitudinem præsertim imminentibus festiuitatis cum secederet, fortiter superauit. Corticibus arborum, & herbis in saltu nasci solitis, crebrius vescabatur. Miraculorum donum ita habuit, vt quotidianis propemodum fulgeret. E petra enim aquam, Moysis instar produxit. Escas calitùs non semel habuit. Absentia velut præsens cognouit, Languentium fratrum multitudinem per obedientia exercitium mirabiliter curauit. Discipuli digitum præcisum saluam adglutinauit. Moribundi animam, modo admirabili è corpore ne exiret, quoad voluit, detinuit.

Sed impium Theodorici Burgundia regis concubinatum redarguere cum non cessaret, Brunehildis, & aulicorum factionibus è monasterio Luxouienti, totoq; regno proscriptus fuit. Verum quod ipse tunc prædixit, breui euenit, vt Theodoricus vnà cum filijs, Brunehildisq; ipsa, mirabiliter perirent. Ipse verò ad Agylulphum Longobardorum regem profectus, Mediolani contra Arianos disputauit. Nec multò post Bobiense Cænobium in Apennino saltu cum

Asperitas vix S. Columban.

Miracula.

Persecutiones passus.

Robiense Cænobium.

fundasset, innumeris propemodum miraculis clarus, animam exhalauit: quam caelos petentem discipulus eius S. GALLVS in Alcmannia eum vidisset, pro eo Missas cum lachrymis celebravit. In eius autem locum suffectus est, omni religione laudabilis ATALIA, cuius post magistrum virtutes clarescuerunt, vt ipse qui egregie Bobiense cenobium regebat, & in omni disciplina regularis tenoris fratres erudiret. Erat enim vir gratus omnibus, singularis cuiusdam ferocitatis, singularis alacritatis, singularis charitatis erga pauperes & peregrinos. Nouerat & superbis resistere, & humilibus subditus esse, sapientibus condigna rependere, simplicibus mystica aperire: in soluendis ac componendis quaestionibus sagax, aduersus haereticorum procillas vigens ac solidus, fortis in aduersis, sobrius in prosperis, temperatus in omnibus, discretus in cunctis, redundans amore & timore in subditos. Redolebat eius doctrina in discipulis, nullus iuxta eum vel marore deiciebatur, vel nimia laetitia extollebatur.

Luxouienfi verò cenobio, postquam id S. COLYMBANVS reliquisset, venerandus pater EUSTACHIVS praefectus est; ad cuius famam vndiq; confluebant non pauci, & se religionis cultui mancipabant,

ita

ita vt non paruam monachorum congregationem adunata, cum sexcentis ferè monachis illic degere videretur in DEI laudibus.

Ex hoc Luxouienfi Monasterio, multa monachorum Colonia deducta. Nam ABALLENVS & cæteri Galliarum Episcopi amore B. COLYMBANI & eius regulæ monasteria complura construxerunt. Inter quos etiam fuit ELIGIVS Viromandensis Episcopus, qui apud Lemouicensem urbem monasterium nobile super fluium Vincennam, Solenniactum nomine extruxit, distans ab ea vrbe millibus quatuor, & alia multa iisdem locis cenobia. Sed & Parisiis puellarum monasterium, quod regio munere acceperat, ædificat, cui CHRISTI virginem AVREAM praefecit. In Bituricensi verò vrbe puellarum monasterium secundum B. COLYMBANI Regulam BERTRADA, nobilis genere & religione famina, construxit. In suburbio Bituricensi vir venerabilis THEODVLPHVS cognomento Babelenus, monasteria ex regula S. COLYMBANI, religione omni pollentia extruxit: Primum in insula super fluium Milmadram, vbi religiosorum virorum adunauit cateruam: Aliud Gandiacum nomine, haud procul à fluiuo Alpera: Tertium CHRISTI

Colonia  
Luxouien-  
censi Cæ-  
nobio de-  
ducta.

Solenni-  
actum &  
alia Mo-  
nasteria  
fundata.

In Luxo-  
uienti S.  
Eustachi-

136.



Virginum in loco, dicto Carontonio, super  
fluum iam dictum Milmandram. Item  
aliud CHRISTI Virginum iuxta Niuer-  
nense oppidum sub eadem regula cōstruxit.  
Porro sub S. EVSTACHII obedientia de-  
gentium monachorū in Luxouienfi mona-  
sterio ingens creuerat multitudo, vt iam  
multa per vicina loca canobia construerentur,  
quæ eius successor B. VVALDEBERTVS  
firmari atq; ædificauit.

De Scotia De ipsa vero Scotia, quæ magnæ Bri-  
tanniæ pars, & Angliæ adiacet, hæc memo-  
ria mandauit D. Ioannes Lessæus: c

e. Lib. 4.  
hist. Scot.

Id temporis BENEDECTVS sanctitatis  
gloria excellens patria Nursinus, monachorum  
ordinem, quem Basilius antea in oriente consti-  
tutum multis præclarisq; viuendi præceptis for-  
marat, in quadam Italia Vrbe, quam Subli-  
sum vocant, renouauit. Vbi cum pietatis sua  
& sanctitatis gloriam omnes late oras peruaga-  
tam esse audiret, veritus ne ex huius gloria  
ueniens, & rursusculis superbia spiritus collige-  
ret; in Cassinum se oppidum, tanquam angu-  
lum abdidi, ac condito monasterio, quosdam  
focios ad sanam viuere rationem traductos, regu-  
la a se primò constituta informauit. Benedecti-  
ni ordinis, mentionem eo libentius hic feci, quo  
plures fructus in Scotia, nostra profuderunt eius-  
dem Ordinis monachi, & quo ampliora mona-

steria

steria Scotorum, qui in hac familia DEO se  
consecrabant laboribus & in Scotia, & in Ger-  
mania extruebantur. Causa verò, cur vari-  
rijs in locis Germaniæ Scotis Monasteria  
exstructa sunt, alia non est, quam gratitudo  
Germanorum erga benè de se meritos: quia  
enim ex Hibernia, quæ antiqua Scotia ap-  
pellabatur, & ex ipsa Britannia, cui Angliæ  
nomen est, (cuius Aquilonaris pars hodie  
Scotia dicitur) varios diuini verbi concio-  
natores acceperant, æquum censuere, vt  
ijsdem fixa & stabilia domicilia figerent,  
quò se, si fortè necesse foret, reciperent, &  
vnde in agrum Dominicum operarij copiosi  
emitterentur. Quà de re audiamus Auen-  
tinum. <sup>d</sup> Hibernia apud maiores nostros fa-  
cunda religiosissimorum doctissimorumq; va-  
tum fuit. Inde COLYMBANVS, CHI-  
LIANVS & pleriq; alij in Germaniam mi-  
grarunt, Scotos nunc nuncupant. Diuus  
hinc MARIANVS cum sex discipulis  
Reginoburgium deuenit, in templo extra ma-  
nia, vt dixi, templum amplissimum bonorum  
ope extruunt, vbi difficilius religionis obse-  
quio, castimoniarum abstinentia satis ardua,  
scribendo, docendo, maximam sibi gloriam con-  
quirunt, spectatum satis magnum exemplum  
pietatis, non solum Boijs, sed & finitimis erant.  
Omnibus placebant, vno ore omnes omnia bo-

Monaste-  
ria Scoto-  
rum in  
Germa-  
nia cur  
fundata.

d Lib. 6.  
Annal.  
Boior.

Ratisbo-  
na.

Vicanz.

na de ipsis dicebant, famaq; hac impulsus  
 Henricus Dux Boiorum, Fauium veterem  
 Romanorum Coloniam, quam nunc Viennam  
 vocant, instaurat. Scotis templum dicit,  
 SANCTINVM cum quatuor & viginti se-  
 cjis Reginoburgio Viennam, emigrare iubet.  
 VValdobrunnus de Rauchs bouen Aiebstady  
 suburbanum templum, rotundumq; extruxit;

Aichsta-  
dij.

GERARDO cum condiscipulis Reginoburgio  
 euocato tradit. Emericus quoq; VVrzebur-  
 genfis Episcopus MACARIUM adprime  
 doctum, abstemiumq; è Boiaria accersit, eidem  
 acq; Conphilosophis templum in urbe condit.

Herbipo-  
li.

GREGORIVS & CHARVS primarius D.  
 PETRI Reginoburgensis Antistes, CON-  
 RADO Casari Gertrudi uxori eius à sacris  
 fuere, ab hisq; Norimberga templum D. A-  
 GIDII accepere. Vbi post eos DEDANVS  
 Capellanus Imperatoris FRIDERICI I. à  
 fundamento Scotis popularibus suis Monaste-  
 rium extruxit. Hæc Auentinus. Eiusmo-  
 di Monasterium Scotorum erat olim quoq;

Norim-  
bergæ.

Argentorati S. THOMÆ Apostoli tutela  
 clarum; conditum, vt aiunt, à FLOREN-  
 TIO III. Argentinensi Episcopo, natione  
 Scoto, hoc est, Hiberno, qui ex patria cum  
 aliquot socijs Euangelicæ doctrinæ disse-  
 minandæ gratia venerat.

Argenti-  
næ.

Sic quoque Richardus Fuldenfis Ab-  
 bas,

bas, e cum aduenas trans mare, mona-  
 chos S. BENEDICTI nosset, insigni per-  
 fectoris vitæ studio ac seueritate diuicplinæ,  
 ex Scotiâ venisse in Germaniam, dedit ope-  
 ram, vt ad excutiendum suorum torporem,  
 & accendendum exemplo virtutem com-  
 plures Scoticæ gentis monachos Fuldam,  
 accerferet; horumq; accuratis vitæ doctri-  
 næque studijs, veterem pietatem ac erudi-  
 tionem apud suos excitaret. Id quod Ma-  
 rianus Scotus non siluit, qui & AMICHAD-  
 DV M monachum Scotum in Fuldenfi mo-  
 nasterio vitæ sanctimoniam clarum, celebrat  
 ad annum CHRIS TI MXLIII. quo &  
 obiit; quippe is prisco ritu istic arctius in-  
 clusus, eâ sanctitatis opinione vixit, vt su-  
 per eius sepulchrum & cælestia visa lumina,  
 haustaq; voces angelicæ psalmodiæ. Hinc  
 & MARIANVS Scorus, f vbi CHRIS TI  
 amore peregrinum solum natali ante-  
 tulit. B. AMICHADI reuerentiâ memo-  
 riâq; tactus, Fuldæ includi se voluit; atque  
 ita decennio præclari ingenij animiq; sui  
 dotibus monasterium hoc illustrans, seue-  
 rioris vitæ doctrinæq; multifariam hic igni-  
 culos sparsit iccitque. Ipse in S. AMICHAD-  
 DI discessu: Ego MARIANVS Scorus  
 decem annis inclusus super pedes (B. AMI-  
 CHADI) stans quotidie cantauit Missas.

e Fuld.  
 Ansig.  
 lib. 1. c.  
 20.  
 Fuldæ.

f Ibid.  
 c. 23.

8 In anno  
 1059.

Sangal-  
fensc.

Füssensc.

Ceterum non in postremis numerandi san-  
ctitate vitæ & miraculis clarissimi B. CO-  
LUMBANI discipuli, GALLVS & MA-  
GNVS, quorum ille Rheticis Alpibus vici-  
na colenda suscepit, hic ad Fauces Alpium  
Iuliarum confedit Extant ab eorum  
nomine celeberrima etiamnum  
Monasteria di-

ta.



CAP.



CAP. IX.

# DE ALEM- NIA ALSATIA ET BOIARIA, ET MA- GNO RELIGIONIS

Promotore S. PIRMI-  
NIO Epileo-  
po.



**I**N Alsatia, primi omnium,  
quod ex vetustis literarum  
monumentis probari potest,  
S. BENEDICTI instituta se-  
ctati sunt, Discipuli quidam S. GREGORII  
Magni Pontificis, qui Romæ eo, adhuc vi-  
uente, in eius Cænobio Monastices rudi-  
menta posuere; eoque ad superos translato,  
solitariae vitæ amore, peregrè abeuntes, su-  
peratis Alpibus in loco quodam Alsatiæ,  
(qui postea Vallis S. GREGORII dictus  
est) extracto ex arborum frondibus tuguri-

S. Grege-  
rij disci-  
puli in  
Alsatia.

olo

olo confederunt. Eorum sanctitate per-  
motus Rex HILDERICVS qui Auftra-  
liæ cepit imperare Anno DCLVIII. ) in lo-  
cum commodiorem capefferent, monaste-  
rium illis constituit, atq; dotauit, vt patet  
ex scripto quodam, quod adhuc in Mona-  
sterij illius archiuus asseruatur, nobili anti-  
quitatis monumento: *Hildericus Dagober-  
ti Magni ex Clodoueo filio nepos, Austrasia, seu  
Francorum Rex de nobilissima coniugis sue  
Eimhildis matertera D. Otilia consilio ac sua-  
su Apostolici viri Rothary tunc Strasburgensis  
Episcopi, probitate & sanctimonia vite Mo-  
nachorum, qui Roma Diuo Gregorio Magno  
adhuc viuo sub eiusdem Regula Monastica ope-  
ram dederant, atq; post dicti Sanctissimi Pa-  
tris sui obitum, eremiticam & solitariam vi-  
tam acturi, relicta Roma, transiensis item ni-  
uosis Alpibus, ad Alsatias tandem in hanc val-  
lem, tunc penitus inuentam, circiter Dominica  
Natiuitatis annum DCXXXIV. deducti ex-  
ructis è frondium & herbarum materia tugurio-  
lis, ad torrentem Iechina & Mülbach con-  
fluentem subsiderant, permotus, hoc Benedicti-  
ne professionis Abbatiale Cenobiū Basilica pro-  
famularum Dei sustentatione dotatum, in Chri-  
stipare Maria, Petri & Pauli Apostolorum,  
Diui quoq; Gregorij Magni honorem, suis  
impensis à Virginei paruis Anno DCLX. erexit.*

Iis in locis monasticum S. BENEDI-  
CTI institutum, aliquot post annis, pluri-  
mum promouit & auxit, S. PIRMINIVS,  
qui liberalibus artibus eruditus, primū  
Monachus familiæ D. BENEDICTI in  
cænobio S. MAVRI Abbatis: deinde ad  
Episcopatum Meldensem provincie Senonē-  
sis euectus est tempore Constantini Papæ V.  
Vbi mox prædicationis & efficacii & suauit-  
tate singulari omnes longè lateq; ad se po-  
pulos attraxit. Post hæc à Sintlace (erat  
Sintlas Theodorici Regis Galliarum in Ale-  
māniæ partibus præfectus, & habitabat, vbi  
nunc arx Sandeck Rhenū despicit) sanctis  
ipsius laboribus & concioni ipsa die Domi-  
nicā, ex occasione sacre peregrinationis su-  
perueniente rogatus, vt fidei pastorum ne-  
gligentia iam labanti in Alemannia, succur-  
reret, Romam ipso Sintlace post sequente  
pro potestate contendit. Ea obtenta; quan-  
ta ad præsens opus necessaria erat; nec non  
litteris Apostolicis ac mandatis ad Theodo-  
ricum Regem Sintlaci datis de Episcopis  
Franciæ & Alemanniæ conuocandis, à tor-  
pore excitandis & ostio prædicationis ipsi  
aperiendo in Franciam reuerfus est: Sintlas  
autem negotium apud Regem & Episcopos  
quamprimū confecit. Ergo iter ingressus,  
in Alemanniam primū peruenit. Et cum

S. Pirmi-  
ni gesta.

Vita per

R. P.

Maurum

Baldung

Vicia-

garten-

sem scri-

pta, extat

in Bava-

ria sancta

R. P. Mab-

lasi Ren-

deri.

Augiensis  
Cathobij  
intra.

in loco, qui dicitur Sintlacis Ouua, magnū cum fructu aliquandiu versatus esset: & Sintlacis filium de sacro fonte suscepisset: rogatus ab eodem Sintlace, vt templum conderet ac dedicaret, animum adiecit ad proximam Insulam Rheno Iacog; Veneto ambitam, eō vsq; vermibus venenatis ac serpentibus infestam, repurgandam; ac Monasterium ibidem construendum. Et Sintlace obijciente aërem insalutarem, & veneno serpentium infectum, magnā nihilominus fide à parte Rheni nauigio ingressus cruce lignea efformatā, Deoq; inuocato, vt primum hinc insulam attigit, ita omnes venenatos vermes inde exire coegit, vt tribus diebus, tribusq; noctibus, quā parte enatabant, aqua vermibus cooperta videretur. Ibi tum non procul à loco exscensionis preteritis fontem impetrare, qui vsq; hodie visitur, & potantibus, maximè si febricitent, creditus salutaris. mox sentes excidere, & edificare: accolæ ad hanc rem, Sintlas præcipue, pretium & prædia conferre: plures Monastica vitæ studio ad eum confluere. Ab his Abbas electus: & per Bertholdum, ac Nebi Principes ad Carolū Martellum adductus, Augiā insulā atq; alijs circum pagis donatus, inq; eius possessionem quietam immisus est per Bertholdum & Land-

fridum

fridum Principes, quibus id negotij Carolus dederat, anno DCCXXIV. aliquot tamen annis post, anno videlicet DCCXXVII. à Theodebaldo Godefridi Ducis filio, odio Caroli inde pulsus, Ethonem pro se constituit Abbatem; ipse Alsatiam petijt, in qua & alijs regionibus plurima fecit construi monasteria; videlicet Altach superius, & forsan etiam Aitaich inferius (quibus nonnulli addunt, Manseum, Niderburgum, Pfaffenminster, & Osterhouam) in Bauariā; Monasterium in Amerspach oppido, diæcesis Herbipolensis; vbi S. AMORUM discipulum suum Abbatem constituit; Monasterium Morbach, in finibus Alsatia, diæcesis Basileensis; Fauarias in Heluetia diæcesis Curienfis; Gengenbach, Morsmünster, seu Mauri Monasterium; Schuuarzach & Neuwiler, diæcesis Argentinensis, nec non & Schuteram inter quæ tria videlicet Altach, Morbach, & Fauarias, Anno DCCXXXI. ex Augiensibus fratribus instructa sunt, & totidem in Augiā remanentibus. Monasterium quoq; S. Mauritij Martyris in Dolegia, diæcesis Treuirensis sapienter inuifit, & aliquandiu inter fratres moratus, ad Regulam S. BENEDICTI eos formauit, & monasterium decorauit. Nouissimè à VVer-

Monaste-  
ria S.  
Pirmini  
fundata.

ab ma  
ambro

ab mo  
Bogma

Monas  
in Ba

à VVernero nobili Francorum genere nato accitus, & aream Monasterio ædificando legere iussus primùm iucundo quodam loco, qui nunc VVissenburg: sed mox ducente subulco ad confluentiam aquarum, quod Gamundium vocant, vbi tum venatorum VVernheri mapalia, & canum cubilia erant, confedit; quòd alternis psallens ibidem incidisset in versum, *Hæc requies mea in seculum seculi hic habitabo, quoniam elegi eam:* illic habitaculum, inq; eo altare B. Virginitum multuario opere construxit ac dedicauit. id monasterij ædificatio mox excepit. Verùm nimia populi concionis & Sacramentorum gratia confluentis frequentia, primam habitationem reperere coactus fuit. Vbi quandoq; Chrismate inter confirmandum deficiente, Diaconus e monasterio adferre iussus, diuinitus repletas ampullas reperit, ac præbuit vsque ad vesperam sacro chrismate inungenti. Porro Monasterium supra dictum ad Gamundium, *Hornbach* nomen accepit, & vtraq; parte saltus Voségi & villis in eo sitis, à VVernhero & posteris eius donatum est. Ex eo quondam VVido de stirpe VVerneri vnus, æs campanæ suauissimi sonitus in Loeuiler transferens, quod ibi nec sonum ederet, eidem monasterio reddere coactus fuit. id ipsum S. PIR-

Miraculum de Chrismate.

Item de campanâ.

MINIVS

MINIVS frequenter per saltum petijt, & cum fratribus de Regulâ S. BENEDICTI contulit. monumentum rei supererat via, dicta Callis S. PIRMINII. Ibi etiam S. BONIFACIVS Archiepiscopus Moguntinus, Metropolitanus eum inuisit, cumq; eo contulit de bono Reipub. Christianæ promouendo. Et iam deinceps ab actione se retrahens, contemplationi totum se mancipauit. Nec multò post in dicto monasterio Vestriæ Hornbach, non procul Geminipontis ciuitate abiuncto, tertio Calendas Nouembris diem suum obiit: & ibidem terræ mandatus est. A morte autem, etiam in Augiâ, vbi primùm confederat, claruit miraculis. Eius Dalmatica viridis, quæ adhuc ibi adseruatur cum cingulo sacro, in partus doloribus frequenter medetur. Vim verò aduersum venena cibo aut potioni noxia, alexicacâ, vniuersè maiores S. PIRMINIO tribuerunt; creditumq; nil noxium contrahi, vbi sumendum victum sic benedixerant.

*Sanctificet nostram sanctus PIRMINIVS escam.*

*Dextera PIRMINII benedicat potula nostra.*

Attamen ante PIRMINIVM, centum circiter annis Monasteria in Boica per S. RVPERTVM Magnum Boiorum Aposto-

S: Pirminius à D. Bonifacio inuisitur.

Abit à vitâ.

Eius Prærogatiua contra venena.

Monasteria Bauaria,

K lum

Salisbur-  
gi.Velten-  
burg.Ratisbo-  
na.a. Rer.  
Boic. lib.  
5. an. 752.Alten-  
münster

lum posita, præcipua duo etiam nunc hodie  
florentia numerantur; prius *Iuuauis*. De o  
& Apostolorum Principi P E T R O dicatum:  
alterum *Veltenburgi* Danubio septum.

Reginoburgi item Theodo Princeps  
cædis S. E M M E R A M M I noxiam aliqua  
expensurus, G E O R G I I martyris ædificu-  
lam adiecto monasterio, quo loco lucum  
olim Deorum religione sacrum fuisse me-  
morant, ampliat. P E T R I Apostoli & ipsius  
E M M E R A M M I nomine indito, primus  
A P O L L O N I V S Abbas, A. P. C. N.  
D C X C V I I. præfectus est.

Præter ea, quæ supra consilio S. P T R  
M I N I I, in Boicâ posita cænobia com-  
memorauimus, Marcus Velferus adhuc alia re-  
ferens ita scribit: a *Vtilonis* etiam ope mona-  
sterium ad *Ifeniscum* amnem *Iosephus* Episco-  
pus, *Erimberti*, in *Frisingensi* ecclesia successor,  
condidit. *Pipinum* auctorem *Alienmünster*  
laudat. *ALTONI* Scoto, cui calitum hono-  
rem posterii habent, *Pipinus* terrarum tra-  
ctum, siliis vastum & horridum contribu-  
it. *ALTO* succis extirpatisq; arboribus, ad ho-  
minum cultum purgauit.

Sed *Lanfridi*, *Valdrami*, *Elilandis*, illu-  
strium fratrum, in hoc genere monumenta, non  
tam laudem & admirationem habent, quam  
ferè est visidem vincant, quippe quibus maxi-  
morum

morum hodie Regum comparatu munificentia,  
tenuis sæpe & modica videatur. Sunt, qui *Val-  
terio* *Blianti* Comite natos, *Valterium* cum  
*Martello* ex *Gallia* venisse tradant: *Alij*  
*Antorse* & *Loyse* Comites aliquâto probabilius  
existimant, nam peregrinitatis fidem, potentia  
estimatio detrahit. Octo per omnem *Boicam*  
sparsere monasteria; *Beuren*, *Schlechdorf*,  
*Vellesprun*, *Polling*, supersunt, post annos  
paullo minus octingentos, siue à primo ortu in-  
columbia, siue restituta: *Siuerstat*, *Sandau*, &  
*Stafelse*, *Cochelense*, ad cognomines virumq;  
lacus, perierunt. *BONIFACIUS* templa de-  
dicauit, cænobia legibus ad *Benedictinam* nor-  
mam instituit. Prioribus monachi, postremis  
tribus virgines transcriptæ, *Cochelenfi* *Gail-  
suindis*, trium fratrum soror præfecta.

Monasterium ad lacum *Tegerensem*,  
per eadem tempora conditum, quod cetera quâ  
latè *Boica* patet, splendore & dignitate multis  
modis superat, fossa & propugnaculis in regia  
speciem cinctum, nam & Abbas ministris ex  
equestri nobilitate, Principum more vititur, &  
verò Principis aliquando nomen ab Imperato-  
ribus tulit. Condidere *Adalbertus* & *Otkarius*  
*Tegerenses* Comites. Maior fratrum *Adal-  
bertus*, Abbas dictus, centum quinquaginta  
monachis præfuit.

*Cremisphanium*, olim *Noricæ* ditionis,

Octo alia  
cænobia.Tegeren-  
se.Crem  
münster

nunc Austria superioris magnificentissimū Cænobium, hac occasione fundatum est: Maior filiorum Thassilonis GYNTHERVS, Laureaco sub brumam venatum egressus, in raræ magnitudinis aprum fortè incidit, propter fontem & piscinam, quam hinc nomen traxisse aiunt: Comitibus per syluam dilapsis, animum solitudine non despondit, venabulo obiecto, feram strenuè excipit, & luculento vulnere conficit: ipse vicissim à dolore & furóre percita consauciatur, ambo in eodem vestigio corruunt. Ibi canis latrantis indicio repertus, magnæ indolis adolescens, miserandum suis in tam tristi exitu præbuit spectaculum. A C. DCCCLXXVIII. Pater quantum maximum potuit sepulturæ honorem habuit, templo cum monasterio magnificentissimè excitato, & amplissimis redditibus instructo, quod à præsente Chremsa nomen traxit Valdericus, Virgilius & Simpertus Episcopi dedicarunt, Hadrianus Pontifex, AGAPITI Prænestini martyris corpus Româ honoris causa dono misit.

Propensus in religionem & sacras cæremonias Thassilo, *Matseum* præterea, *Thierhauptum* & *Chiemseum* virginum, nam duplex est, monasteria condidit: pleraque antea condita vectigalibus auxit, sic

Matsee.  
Thier-  
haupten.  
Chiem-  
see.

VI

vt horum quoque vulgo auctor habeatur.

A. C. DCCXC. Adaluncus, Hiltipaldus, Keypaltus & Otakirus fratres *Schierseum* instituerunt. Circa eadem tempora, *Scheftlarium* VValchericus, *Garsum* Boso, *Au*, Baldunus & Robertus presbyteri condidere. E quibus *Scheftlarium* nunc à Præmonstratensibus, cetera à Canonicis Regularibus habitantur.

Schlier-  
see.  
Scheff-  
laru.  
Gars.  
Au.

In eadem ditioe floruerunt, & pleraque adhuc florent, *Andex MCDLV. Aspach MCXXVII. ETL MLXXX. Bergen, CMLXXVI. Biburgum, Clo cxxiv. Chiebach, MXI. Ebersperga, CM, Etal, MCCCXXX. Formpach MXCIV. Geisenfeld, MXXX. Hohenwardt MXXXIV. Malbarsdorf MCIX. Maria-cella MCCCXXIV. Metten, DCCCL. Munchsmünster Nenburg MVII. S. Petri Martrona MC. Pfaffenmünster DCCXLII. Pruel CMXC VII. Prufenning MCIX. Rott MLXXXIII. Scheirn MLXXVII. Seon CMXCIV. S. Viti. MXXX. MCLXXI. VVeibenstephan. MXXI. Eorum origines ex Bruschio, Hundio, & alijs scriptoribus, alibi descripsi.*

In Heluetiâ verò montes primò asperos, & loca inculta veteris discipline memoria, an æmulatu, BENEDECTINI insedere.

K 3

OVI-



Primi in  
Heluetia  
Benedi-  
ciani.

OVINVS quidem LVPICINVS, & Ro-  
MANVS, Iurassum, montem inter Bur-  
gundiam, & Heluetiam limitarem, quem  
postremo ab viri, qui successit longo inter-  
uallo, præstantiam, & dignitatem S. CLAV-  
DIT montem nunc vocant, eiusdem sancti,  
& aliorum miraculis insignem & modo etiã  
frequentem. Eiusdem montis partem pro-  
pe mediam, quæ ad Sequanos maxime per-  
tinet, GERMANVS, & VRSICINVS,  
alijq; occupauerunt. HEREMVM vëro,  
siue Siluæ obscuræ solitudinem, MEGIN-  
RADVS eiusdẽ Insulæ Augiæ (de quã supra  
in S. PIRMINIO dictũ) Monachus primo  
sanctitate, mox sanguine suo illustrauit, &  
consecrauit. Eundem post locum incol-  
lũt BENNO ex regiã Burgundiæ regum  
stirpe Canonicus Argentinensis, circa An.  
CMVL EBERHARDVS tandem ex Co-  
mitibus Franconiæ, Hessiæ, & Veterouiæ  
Prouincialibus Præpositus Argentinensis,  
diuino admonitu, Angeloq; ductore, & in-  
ductore, ad Heremum aduectus, Anno  
CMXXXIV. amplis facultatibus, & hære-  
ditate opulentã, nouum & amplissimum  
monasterium, Basilicamq; in honorem, &  
nomen DEIPARÆ MATRIS, diuique  
MAVRITII Legionis Thebaicæ principis,  
& sociorum construxit: in quã DEIPARÆ

Heremi  
Deiparæ  
origo.

Sa.



## CAP. X.

DE S. ODO-  
NE ABBATE  
CLVNIACENSI, E-  
IVSQUE REFORMATIO-  
ne, ac Ordinis in Asia, Ægypti parti-  
bus, vsq; Constantinopolim &  
Hierosolymam propaga-  
tione.

**D**E CLVNIACENSI maxi-  
mè frugiferã propagine libet  
referre verba Glabri Rodul-  
phi, Monachi Cluniacensis. *Lib. 3. Hist. Franc. Cap. 5.*  
*Institutio, inquit, Ordinis S. BENEDICTI iam penè defessa, auctore DEO elegit sibi Sapientia sedem, vires collectura, ac fructificatura germine multiplici, in Monasterio scilicet cognomento CLVNIACO, quod etiam ex situ eiusdem loci adcliuo, atq; humili tale sortitum est nomen: vel etiam, quod aptius illi con-*  
gruit,

*Lib. 3. Hist. Franc. Cap. 5.*

Clunia-  
censis  
Monaste-  
rij & Con-  
gregatio-  
nis origo.

K 5

gruit, à eluendo dictum quoniam cluere, cresce-  
re dicimus: insigne quippe incrementum duer-  
forum donorum, à sui principio in dies locus  
idem obtinuit. Construxit igitur predictum  
Canobium primus Pater Monachorum Bal-  
mensis Monasterij BERNŌ vocatus, iuben-  
te Villermo pussimo Aquitanorum Duce, in  
pago Matisconense, super Graonam fluuiolum.  
Quod etiam Canobium in primo, non amplius  
quam quindecim terræ colonias dicitur in do-  
tem accepisse, fratres tamen duodecim numero  
inibi memorantur conuenisse. Ex quorum ve-  
luti optimo semine multiplicata stirpe Domini  
exercituum innumerabilis magnam cognosci-  
tur repleffe. Qui quoniam his, que DEI sunt,  
videlicet iustitia & pietatis operibus incessanter  
adheserunt, idcirco bonis omnibus repleti  
meruerunt, in superq; futuris mirabile relique-  
runt, exemplum: nam post præfatum BER-  
NONEM suscepit regiminis curam sapientissi-  
mus Abbas ODO, Is Abbonis nobilis Fran-  
ci filius adhuc adolefens Ecclesiæ Turonē-  
sis Canonicus cum esset, illud Apostolli  
apud se repentes: *Si quis ignorat, ignora-  
bitur*; literarum scientiam viro Ecclesiasti-  
co dignam cum pietate coniunxit. Virgi-  
lium poetam aliquando dum parat legere,  
somnia oppressus vidit quasi vas insigne, sed  
serpentibus plenum sibi stienti offerri: quo  
visu

visu perterritus in posterum sacris literis se,  
totum dedit. Deinde suis in pauperes distri-  
butis in solitudinem secessit, vbi per trien-  
nium, diem in lectione sacra, noctem ferè in  
oratione posuit. Victus illi quotidianus, pa-  
nis semilibra cum fabis paucis: lectus storea  
humistrata: quæ sensuum incuria & nudita-  
te spontanea locuples muneribus vndique  
oblatis abstinuit.

Postea in Monasterio Gigniacensi S.  
BERNONE Abbate vitam Monasticam  
serio egit, quo tempore frater quidam illic  
moriens exclamabat pro CHRISTI tribu-  
nali sibi à dæmone obiectas micas, quas in  
finē mensæ comedere neglexisset. Huius  
memor ODO micas lectulo collectas, ipse  
lectioni intentus cum semel in mensâ co-  
medere oblitus post mensam non auderet,  
delicti veniam deprecaturus Abbati supplex  
eas in tot margaritas diuinitus mutatas stu-  
pens ostendit, quas Abbas vestri sacre intexi  
curauit. Inuitus, & præ humilitate obni-  
tens Sacerdotio initiari, ac deinceps Abbas  
esse cogitur.

Cluniaci Abbas institutus thesauros in  
Regulæ obseruatione, latentes Monachis  
explicauit, nullumq; illius apicem prudenti  
inconsultum, proficienti inutilem, credenti  
difficilem, penitenti asperum esse, suo &  
multo-

Micæ in  
gemmas  
conuersæ.

multorum exemplo docuit. Sollicitudini, puritati, deuotioni suorum in DE I laudibus nocturnis, diurnisq; orationi, & silentio præcipue cauit, ita vt verborum vice signis necessaria loquerentur. Deinde viribus integros à carnibus planè abstinere atq; idoneos quosq; statis quotidie horis discere aliquid aut docere voluit. Interim sibipareus omnia quæ Monachis Regula permittit, abundè suppeditabat. His accessit apparitio crebra SS. MARTINI Turonensis, & Patris nostri BENEICTI, è quorum exemplo & patrocinio vnice pendebat, qui ODDONEM, & illi obsequentes fauoribus, negligentes vindicta cælitus prosequabantur. Hinc familia Cluniacensis cum Regulæ conuenienter viuere, aut mori cuperet, breui longè lateq; propagata sanctitatis ac doctrinæ splendore Ecclesiam vniuersam diu illustrauit.

Pauperes solebat cæli ianitores appellare; vltro abipsis quo potissimum egerent, petere; omnium inopiæ (cui poterat) honestiorum etiam verecundiæ consulere; morbo vel senio debiles in itinere obuios equum suum ascendere cogebat, quos ipse pfallens pedibus comitabatur. Quam humanitatem cum in Alpibus Cotijs præstaret, mulier ad primum sellæ ipsius tactum, dæmo-

dæmonio quo tenebatur, liberata est. In principum dissidijs componendis, Ecclesijs pacem restituendis, Monasterijs reformandis cum consenuisset, Romæ ex febris moribundus, mortis inducias impetrauit, donec Turones reuersus S. MARTINI sollemnitate celebrasset: tunc febris redeunte sanctis Ecclesiæ sacramentis munitus inter suos Fratrumq; præces animam DEO reddidit. XIV. Cal. Dec. circiter A. C. DCCCCXL. quem S. BERNARDVS ad Gulielmum, Abbatem scribens, Sanctum fuisse asserit.

De eodem ita scribit venerabilis PETERVS Cluniacensis Abbas: *¶ Veniat post e* Lib 6.  
*magnum BENEICTVM, & eius discipulum MAVRVM, summus Ordinis Monasti* Epist. 17.  
*ci in Gallia reparator, præcipuus Regula reformator ODO, ODO, inquam, primus Cluniacensis Ordinis Pater, qui emortuum iam, & penè vbiq; sepultum Monastici propositi feruorem resuscitare suo conamine aggressus est. Defecerat suo tempore Sanctus: diminute erant veritates à filijs hominum. In cunctis penè Europa nostræ finibus, de Monacho, præter tonsuram, & habitum, nihil. Institit ille diuino operi ferè tunc solus, & Cluniaci primariæ fundamenta, post, huc illucq; Religionis semina, quamdiu aduixit, ferere non cessauit. Hic enim in tantum huius instituti propagator exiit, in-*  
quit

SS. Martinus & Benedictus crebro apparerent Odo- ni

Eius miracula & humilitas.

S. Odo Ordinem S. Benedicti reformauit.

quit Glaber Rodolphus, & ut à Beneuentana Prouincia, quæq; habebantur in Italia, & in Gallijs usq; Oceanum mare, potiora Monasteria illius dittoni gratularentur esse subiecta. Hic & utiq; fuit mira sanctitatis, incomparabilis in Monastica disciplina feruoris, ac penè suo sæculo singularis: eiusq; feruore & industria Monachorum illius temporis tepore versus est in ardorem, & in fidei ac religionis deuotionem. Valde quippe per ipsum ac sub ipso, restoruit Monastica deuotio iam exsiccata, & beati BENEDICTI laudabilis institutio plurimum in diuersis Cenobijs reuixit, & conualuit reparata. Nã ut testatur Auctor Chronici Cluniacensis, etiam in Asiam & usq; Hierosolyman se extèdit, cuius uerba hæc sunt: Tempore Pontij Abbatis, uir magni generis, Dominus GELDVINVS, qui ex nobili stemmate Puteacensium procerum editus pro spe regni celestis seductoria sæculi pompam deseruit. Monachusq; effectus uoluntariam CHRISTI paupertatem in Cluniacensi cenobio arripuit. Pro sua religione in Priorem Luperciaci Burgi assumptus fuit, & tandem licentia ab Abbate obtenta, in Abbatem sanctissimi sepulchri Matris Domini de ualle Iosaphat assumptus est. Inde cum Rege Hierosolymitano consobrinio suo Antiochiano perrexit. In eodem Chronico post nonnulla hæc leguntur. Tempore PETRI uenerabilis

Etiam in terra sancta.

bilis Abbatis Cluniacensis numerum fere quatuorcentum Monachorum in Cluniaco redolebat. Quorum quidam habitabant, in syluis illi loco proximis, inter quos ipse aliquando PATRVS Abbas conuersabatur cum ipsis fratribus. Eorum enim habitacula sanctorum Patrum Monachorum in presatis syluis erant. Capell. deuot. sicut in Capella S. RADEGVNDIS, S. ROMANI super Boutauanum, Capella S. VITALIS prope Cluniacum, Capella S. IOANNIS de Bosco, & Ecclesia de Costa, in quibus locis cum magna deuotione CHRISTO militabant.

Ex quibus omnibus supradictis & ratione quorum Ordo Cluniacensis, & ipsius Monastica Religio extesa, & propagabatur usq; ad uallem Iosaphat, Sepulchrum Matris Domini nostri IESU CHRISTI, ubi GELDVINVS Monachus Cluniacensis, illius uallis Monasterij Abbas extitit. Et ite ipsi Monasterij Cluniacensis Monachi, cum Monachis, & Fratribus habitantibus in S. Monte Thabor, ubi Dominus transfiguratus est, sortiti sunt consfraternitatem. Consequenter ipsi Cluniacenses obrinuerunt Monasterium, quod Ciuitor \* dicitur, quod est in suburbio Constantinopolis ciuitatis. Tandem & per successum temporis isti patres Cluniacenses traxerunt in suam consfraternitatem & societates, Ecclesias, Collegia, & Monasteria

Hierosolyimis.

\* s. L. Com. tot. & Constantinopoli.

Abbat  
Clunia-  
censi ultra  
duo mil-  
lia mona-  
steriorum  
subiecta.

steria usq; ad numerum ferè CCCXIV. Et sub  
ipsis Abbatis Cluniacensis subiectione fuerunt  
tam Abbatis, Prioratus, Decanatus. Præposi-  
tura, officiaq; tam immediatè eidem subiecta,  
circa duo millia vel amplius.

Hac de re etiam legendæ Epistolæ 39.  
40. 44. lib. 2. V. P E T R I Abbatis.

De ordine Benedictino in Asia & parti-  
bus ultramarinis propagatò, agunt Guilel-  
mus Episcopus Tyri, s; Trithemius, & Petrus  
Diaconus in Catalago Abbatum montis  
Casini, in S. Oderisio I. Abbate, sic  
inquiens: Hic, Hispania uerùm, Constanti-  
nopoli, Hierosolymis, Illyrico, ordinem mittit.

Quod Benedictini etiam Ægypti solitu-  
dines penetrauerint, præter id, quod non  
nulli memoriæ tradiderunt, extat nobile  
monumentum in vita S. BONONII Abba-  
tis; h In illo autem S. STEPHANI Mo-  
nasterio, cum in sanctarum uirtutum, diuinæq;  
contemplationis piissimis exercitijs, multum per  
aliquot annos profecisset ( uidelicet S. B O N O N I U S Abbas ) ad perfectiora charisima-  
ta contendens, patria, amicis, domo, urbisq;  
frequentia deseruit. Babylonie Ægypti solitu-  
dinem adiit, ut asperioris ac durioris uitæ frano  
corpus perfectè edomaret, ac spiritus obsequens  
planè redderet. Euenit autem fama eius & vir-  
tutum fragrantia ad Ægypti incolas peruadente,  
ut

ut ea capi ac delimiti Ægypti proceres, ac po-  
rior pars populi ad eum amore ac singulari be-  
nevolentia complectendum uehementer incita-  
rentur: ita quidem ut potestatem facerent ea  
istis in locis instituendi, que ad Religionis re-  
stitutionem, barbarica firmitate conciliatam,  
pertinere censuisset. Quòd cum frequenter urge-  
rent, gauisus pius Pater, & D E O qui feroces  
barbarorum mentes mitigasset, gratiam rese-  
rens, occasionem tantam minime sibi negligenda  
ratus, operi sedulo institit, primum diruta  
multis in locis templa restaurans: & post ian-  
ctum hoc uirtutum suarum quasi spirituale  
fundamentum, Monasteria deinde plurima  
reparans, per que cæcis Monachorum distri-  
buit, Abbates constituit, eosq; secundum à Diuo  
B E N E D I C T O præscriptam Regulam, uitam  
religiosè traducere iussit.

Ceterum cum in Bibliotheca Clunia-  
censi, Parisiæ anno MDL. CXIV. edita,  
extet Catalogus Abbatiarum, Prioratum,  
& Decanatum, mediatè & immediatè Ab-  
batia, seu Monasterio Cluniacensi subdito-  
rum, per prouincias distributus, non operæ  
pretium uidebatur, ut huc tantam multitu-  
dinem transcriberemus; sed hæc instituto  
nostro sufficere credidimus.

Porro Cluniacensis reformationis nota  
etiam pleraque Gallia Belgica mona-  
stia Belgij.

f de bello  
sacro lib. 2.  
18 cap. 15  
g de uir.  
illustr. lib.  
3 c 29 &  
alibi.

h Ap Sur.  
30. Augu-  
sti.  
In Ægypti  
partibus.

steria sunt amplexa. Eorum origines singulari volumine explicare studuit R. D. Albertus Miræus, & Catalogus Alphabetice serie hoc ordine collocatur.

- A** *Effigemium*, in Brabantia.  
*Alciacense* in Artesia.  
*Aldeburgense*, in Flandria.  
*Altimontense*, in Hannonia.  
*S. Amandi Elnonense*, in Flandria.  
*S. Andrea*, Brugense.  
*S. Andrea*, Cameracense.  
*Aquicinctinum*, in Hannonia.  
*Arquensis* Præpositura, in Artesia.  
*S. Bauonis Gandense*.  
*Berclauensis* Præpositura, in Artesia.  
*S. Bertini Sithiense* in Artesia.  
*Blangiense*, in Artesia.  
*Bornehemense* in Flandria.  
*Capellensis* Præpositura, Bruxellis.  
*Crispinum* in Hannonia.  
*S. Dionysij Brockhorense*, apud Montes Hannonia.  
*Egmondanum* in Hollandia.  
*Einhamense*, in Flandria.  
*Epternacense*, in Ducatu Luceburgensi.  
*Fidemiense*, in ditione Cameracensi.  
*Fluderbecanum*, in Brabantia.  
*Florinense*, in ditione Leodicensi.

*Fraxinen.*

- Fraxinensis* cella, in Gallo-Brabantia.  
*Fosnuerdense*, in Frisia Occidentali.  
*S. Fredegandi Turninense* apud Antuerpiani.  
*Gemblacense* in Brabantia.  
*S. Gerardi Broniense*, in Com: Namurcensi.  
*S. Gisleni Cellenfe*, in Hannonia.  
*S. Hadriani Gerardi montense*, in Flandria.  
*Hamaricense*, in Artesia.  
*Hannoniense*, in Hannonia.  
*Hasprensis* Præpositura, in Hannonia.  
*Hasteriensis* cella, in agro Namurcensi.  
*S. Huberti Andaginense*, Arduenna.  
*Hulsbergense*, in Ducatu Geldria.  
*Hunocurtense*, in diœcesi Cameracensi.  
*S. Iacobi Leodicense*.  
*S. Iohannis Morinense*, seu Teruanense in vrbe Iprensi nunc situm.  
*Letiense*, in Hannonia.  
*Laubiense*, in ditione Leodicensi.  
*S. Laurentij Leodicense*.  
*Malmundariense*, in Arduenna.  
*Marchianense*, in Flandria.  
*Maricolense*, in Hannonia.  
*S. Martini*, Tornacense.  
*Merckense*, seu *Capellense* B. Virginis Monasterium apud Caletum.  
*Munsteriense*, B. Virginis in vrbe Luceburgensi.  
*Ostbroucanum*, in prouincia Ultraiectina.

- S. Pauli*, Ultraiectinum.  
*S. Petri Blandiniense*, in vrbe Gandens.  
*S. Saluy monast*: in Hannonia.  
*Sonegiense*, in Hannonia.  
*Sperliacense*, in Flandria.  
*Stabulense*, in Arduenna.  
*Stauriense*, S. Odulphi, in Flandria.  
*S. Sepulchri Dominici Cameracense*.  
*S. Trudonis Sarchiniense*, in ditione Leodi-  
 censi.  
*S. Vedasti*, Atrebatense, in Artesia.  
*Vualciodorense*, in Comitatu Namurcensi.  
*Vuauerensis cella*, in Brabantia.  
*S. Vuinoci Bergense*, in Flandria.  
*Vuormholtanum*, in Flandria.

## COENOBIA FÆMINÆ

## SEXVS.

- Aldenicense*, in prouincia Ultraiectina.  
*Auennense*, in Artesia.  
*Bigardia Maior*, in Brabantia.  
*Bigardia Minor*, ibidem.  
*Borburgense*, in Flandria.  
*Bruxellense*, in Brabantia.  
*Contenbergenſe*, in Brabantia.  
*Dominarum Mon.* apud Ultraiectum.  
*Danoniense*, in Hannonia.  
*Dnacense*, in Flandria.  
*Foreſtenſe*, in Brabantia.

- Giffengemiense*, in Hannonia.  
*Giffellense S. Godoleus*, in Flandria.  
*Hemelense S. Nicolai*, in Frisia.  
*Merchemense*, in Flandria.  
*Messinense*, ibidem.  
*Nigra aqua*, in Transſalana prouincia.  
*Rhenoburgense*, in Hollandia.  
*Strumense*, in Artesia.



SS. ANDREAS. ZOERARDVS. ET. BENEDICTVS. M. ORD. S. BEN.  
*Præcoram, dicit usiam. ZOERARDVS in. antro.  
 Sed latro infontem te BENEDICTE. necat*



## CAP. XI.

ETIAM IN  
 HUNGARIA  
 BENEDICTINOS  
 FLORVISSE; ET DE  
 quibusdam sanctitate cla-  
 ris viris.

**T**EMPORE illo, quo sub Chri-  
 stianissimi STEPHANI Re-  
 gis nutu nomen & religio Dei-  
 tatis in Pannoniâ rudis adhuc  
 pullulabat, audita fama boni Rectoris, mul-  
 ti ex terris alijs Canonici & Monachi ad  
 ipsum confluebant. Inter quos etiam qui-  
 dam ex rusticitate quasi rosa ex spinis ortus,  
 nomine ZOERARDVS hanc in patriam  
 de terra Polonorum aduenit, & à PHILIP-  
 PO Abbate, cuius monasterium Zoborno-  
 minatum, & in Nitriensi territorio ad ho-  
 norem S. HYPPOLITI Martyris situm,  
 Nitriense Monaste-  
 rium in Hunga-  
 ria.



erat, habitu accepto, & ANDREAS nomi-  
natus eremiticam vitam agere statuit. Vbi  
sanè quantà contritione cordis & corporis  
maceratione afflixerit sese, ex relatione di-  
scipuli eius B. BENEDICTI cum ipso con-  
uersantis, literis fideliter mandauit B. MA-  
RVS Episcopus Quinqueecclesiensis.

Scilicet idem venerabilis vir ANDRE-  
AS, ZOERARDVS priùs dictus, eremi soli-  
tudinem expetiit, magnà quidem corporis  
defatigatione, sed spiritualis tamen vitæ  
corroboratione. Tribus diebus ab omni re,  
quæ mandî posset, abstinuit pro dilectione  
gratiæ ipsius, qui propter homines homo  
factus quadraginta diebus ieiunauit. Cum  
autem Quadragesimale tempus adueniret,  
exemplo vitæ regularis, sub quâ ZOZIMAS  
Abbas degebat, vbi quadraginta quinq; da-  
ctylis quisq; Quadragesimam deduxit, ipse  
à patre PHILIPPO, à quo habitum reli-  
gionis perceperat, quadraginta nuces accep-  
it; & eo existens victu contentus, diem  
sanctæ Resurrectionis cum gaudio exspe-  
ctauit; iisdem verò & alijs diebus ipse ta-  
men, excepto tempore orationis, nunquam  
à labore cessauit, sed acceptâ securi, quen-  
dam laboraturus sylvæ locum solitarium  
intrauit. Post laborem autem diurnum,  
corpori quietem nocturnâ talem adhibuit,

quæ magis tormenti & afflictionis, quàm  
requiei nomen mereatur. Planatum equi-  
dem truncum quercinum sepe circumde-  
dit, & per ipsam sepem arundines acutas ex  
omni parte infixit; ipse verò in tronco se-  
dens tali sessorio vsus est artuum recreatio-  
ne, vt si fortè corpus sopore grauatum qua-  
lemcumque in partem se flecteret, arundi-  
num acie sauciatum euigilaret. Insuper &  
ex ligno coronam factam capiti suo circum-  
ponebat, ad quam in partibus quatuor toti-  
dem lapides suspendebat, vt si caput sopi-  
tum quocunq; inclinaret, lapide percutere-  
tur.

BENEDICTVS verò eius discipulus  
& ipse patre suo defuncto, locum eundem  
inhabitare decreuit. Sed cum per tres an-  
nos exemplo magistri districtè vitam ageret,  
ecce latrones superuenientes, & multam  
apud ipsum pecuniam esse sperantes, du-  
ctum ad ripam fluminis Vuag iugulauerunt,  
& in ipsam aquam demerserunt. Diu verò  
corpore eius quæsito, & non inuento, per  
integrum annum visa est aquila in ripâ eius-  
dem fluminis Vuag, quasi quædam observa-  
tura sedere, per quam de corpore certi esse-  
cti, quendam in aquas immergi fecerunt, vbi  
& integrum, quasi nuper obijisset, inuene-  
runt. Conditus est autem BENEDICTVS

Stupenda  
corporis  
macerati-  
o.

Benedi-  
ctus eius  
discipulus  
à latroni-  
bus inter-  
ficitur.

Eius cor-  
pus ab a-  
quila cu-  
stoditum  
post an-  
num inte-  
grum re-  
peritur.

S. Andrea  
Zoëardi  
rigidissi-  
mauita,

Quadra-  
ginta nu-  
cibus vi-  
uit per  
Quadra-  
gesimam.

in Basilicâ B. EMERAMI Martyris, in eodem sepulchro, in quo asseruabantur ossa B. ANDREÆ eius sancti patris.

Siquidem cum tempus resolutionis sui corporis immineret, indicans eis B. ANDREAS hoc qui aderant, ne ab vlllo vestimentorum suorum exueretur operimento præcepit, donec Abbas PHILIPPVS, quæ miserat accersitum, adueniret. Qui pater adueniens, vbi corpus venerabile jam mortuum cerneret iacere lauandum, catenam æream viscera attingentem inuenit. Omnia res & inaudita. Catena carnes intus putrefaciens, cute foris est obducta. Sed nesciri hoc genus martyrij posset, nisi & ad vmbilicum ligati nodus appareret metalli. Soluta verò catena, dum ex corpore trahitur, sonus quoq; costarum elisarum grauitur auditur. Cuius catenæ partem mediam ab eodem patre impetrauit B. MAVRVS, & diu à se custoditam tandem Duci Christianissimo GEISÆ, cum desiderio magno pro eâ instanti concessit.

Sopulto quoq; beati viri corpore, tempore quodam latrones, quorum collegia maximâ ex parte solitudinem inhabitant, in sylua congressi sunt. Quibus confisgentibus, vnus ex eis multû sauciatus est. Conflitu dirempto, cum hunc socij vulneratum, nequa-

nequaquam in syluâ dimittere vellent, consilio inuito, ad cellam dicti viri Dei ANDREÆ, cuius fama jam ad omnes circumquaq; diffundebatur, eum deferre statuerût.

Sed cum adhuc locus longè abesset, latro in via defunctus est: corpore verò eius ad cellam deportato, & in eadem posito, media jam nocte, cum ossa commendare vellent humo, subito, spiritu reuerfo, mortuus resurgere capit, & deinceps DE oibi & S. ZOE RARDO seruiturus vsq; ad obitum suum permansit. Claruerunt viri sancti circa annum CHRISTI millesimum vigesimum.

Suprà memoratus etiam sanctus Rex STEPHANVS, cum insignem victoriam, meritis S. MARTINI ex hostibus reportasset, nihil de rebus eorum in suos vsus conuertit: sed ex DEI amantium consilio, iuxta eiusdem sancti præsulis fundum eo loco, qui Sacer Mons dicitur, vbi S. MARTINVS, cum in Pannoniâ degeret, precari solitus erat, sub eius nomine monasterium, construxit, possessiones & redditus sufficientes ei attribuens. Idem verò de Episcopis constituit, ex illorum captiuorum facultatibus decimas persolui volens, idq; ad eod exactè, vt si quis decem haberet proles, decimam prolem S. MARTINI canobio daret.

Mortuus  
resurgit.

Mons S.  
Martini  
in Pannonia.

Mirum  
martyrij  
genus.

ret. Ex eo cænobio prodijt S. MAVRVS, vir humilitate & patientia maximus, & castitate purissimus, ab eodem Rege, quinque ecclesiensis Ecclesiæ Antistes institutus, eam sanctissimè rexit, & ibidem in pace quieuit.

Ad eundem Regem, eius inuitatione commoti venerunt Abbates & monachi (quos ex monte Cassino euocatos, auctor est Leo Ostiensis, & Bonfinius *b*) nihil proprii habere cupientes, qui sub tam religioso principe statuerunt ad sui instituti præscriptum viuere; in quib<sup>9</sup> fuit ASTRICVS Abbas cum discipulis suis: è quibus BONIFACIVS loco Patris Abbas postea creatus, & à beato Rege in inferiores Hungariæ partes causâ prædicationis missus, in vertice gladio percussus, etsi superuixit, non est martyrij coronâ frustratus.

Porro ASTRICVS Abbas cum suis honorificè acceptus, ad radices *Montis ferrei* cænobium in S. BENEDICTI honorem construxit, vbi hodièq; monachorum est congregatio, regulari disciplinâ pollens, temporalium rerum copijs ex Ducis liberalitate superabundans, nullius indigens, nisi vt ad Euangelij præscriptum, suos aliorumq; pedes quotidianis precib<sup>9</sup> & lachrymis lauet.

Postea

Postea sanctus Rex Prouinciam in decem Episcopat<sup>9</sup> distribuit, quorum metropolim & magistrat<sup>9</sup> esse voluit ecclesiam Strigoniensem. Non ignorans autem vir prudens ASTRICI Abbatis religionem, Episcopum eum Colocensem constituit, Canonica electione creatum. Deinde diuinitus permotus, eundem ASTRICVM præfulem, qui etiam ANASTASIVS dictus est, ad SS. Apostolorum limina misit, à PETERI Apostolorum Principis successore petiturum, vt recens conuersæ Pannoniæ largam benedictionem impertiret, Strigoniensem ecclesiam suâ auctoritate metropolim constitueret, reliquos Episcopatus suâ benedictione muniret, & ipsum Ducem regio diademate cõhonestaret: vt eo sultus honore, quæ diuinæ gratiæ adiutorio capisset, ea magis magisq; promouere & constabilire posset.

Præsul ASTRICVS Romam ad Pontificem venit, demandatumq; sibi officium prudenter exequens, omnibusq; impetratis, quæ postularat, lætus ad suos reuertitur, illud secum ferens, cuius causâ iter illud æmensus erat.

Ipse verò Rex nuper inchoatos Episcopat<sup>9</sup>, & Abbatias, præ dijs, cortibus, familijs & redditibus regia planè magnificentia instruxit, Crucibus, vasis sacris, aliâq; supellectile

Fit Episcopus Colocensis.

Romam mittitur.

*a Chron. cap l 2. c. 70. b Lib. 1. de c. 2 rer. Hung.*

Bonifacius Abbas Martyr.

Asticus Abbas Mon: Montis ferrei conditor.

lectile ad Dei ministerium spectante, pro cuiusque necessitate vel indigentia, satis exornauit, annisq; singulis, quo ad vixit, munera & oblationes semper auxit, nè aliquid extrinsecus conquirere cogerentur, qui rebus diuinis peragendis præerant. Monachorum quoq; vitam & conuersationem modò per seipsum, modò per alios accuratè inuestigans, desides arguebat, alacres & vigiles charos habebat.

Ea tempestate in monasterio S. MARTINI erat monachus quidam, SEBASTIANVS nomine, cuius vita probabilis, & in DEI cultu religiosa deuotio habebatur. Eum venerabilis Rex miro capit amore, complecti: (Quanto enim quisq; esset religiosior, tanto illi quoq; charior erat) atq; ob vitæ eius merita dignum eum censens, qui Episcopi dignitate polleret, Strigoniensis ecclesiæ Archiepiscopum eum esse voluit. Sed quia flagellat Deus omnem filium, què recipit, SEBASTIANVM illum vt eius patientia probaretur, ad tempus vtriusq; luminis orbitate afflixit. Ne verò nouellus grex, pastoris gubernatione destitutus, à recto itinere deflecteret & aberraret, Romano Pontifice assentiente, ASTRICVM Colocensem Episcopum, cuius iam crebrò est habita mentio, in eius locum Rex substituit.

Sebastianus Monachus Montis S. Martini creatur Archiepiscopus Strigoniensis.

Hebr. 22

tuit. Triennio inde euoluto, SEBASTIANVS ex DEI benignitate recuperauit, visum: & Pontifice Romano approbante, ASTRICVS cum pallio redijt ad suam Colocensem ecclesiam, SEBASTIANVS Strigoniensem gubernandam recepit.

Item Rex sanctus extruxit etiam in ipsa Hierosolyma, vbi Dominus noster IESVS CHRISTVS in carne versatus est, monachorum canobium, idemq; prædijs & vineis, vnde eis quotidiani victus copia suppetat, ditauit.

Monasterium Hierosolymis a S. Stephano Rege conditum.

Idem quoque Rex ad B. GVNTHERRI, ex inferioris Althæ Bauarico Canobio Monachi & Eremitæ petitionem, fundauit monasterium, quod *Beel* vocant, Item *Beel*. bonis omnibus illud locupletans: in quo GERARDVS monachus, qui Venetijs eò venerat, vitam duxit contemplationis additam: & postea diuinâ ordinatione creatus Episcopus, post obitum sancti Regis, orta Christianorum persecutione, lapidibus oppressus, diuino munere, martyrum contubernio dignus effectus est.

LIBRARIUS ABRAS. ORD. S. BEN. BREVIA ABRAS. LIBRARIUS ABRAS. LIBRARIUS ABRAS.



S. PROCOPIVS ABBAS. ORD. S. BEN.  
 BREVNOVIÆ Monachus scilicet post PROCOPIVS Abbas  
 Duo BAPTISTÆ Tempia sacra loca



## CAP. XII.

ORDINIS S.  
 BENEDICTI IN  
 BOHEMIA PRO-  
 PAGA-  
 tio.



BENEDICTINVM institutum in Bohemiam potissimum inuexit S. ADALBERTVS Pragensis Episcopus secundus,

qui ex Romano ad D. ALEXIVM Cæno-  
 bio, sex secum fratres contubernales dedu-  
 xit, & in BREVNOVIENSE Mona-  
 sterium, quod ipse paternis è bonis ædifica-  
 uit, ac munificentissimè dotauit, colloca-  
 uit; illis nomine Abbatis præposito ANA-  
 STASIO, qui posthac apud Hungaros Stri-  
 goniensem egit Pontificem, viro tanta san-  
 ctitatis & virtutis vt mortuum discipulum  
 precibus suis à morte excitauerit. Hoc po-  
 stea Benedictinorum institutum maximè il-

*a Dufra  
 lib. 6.  
 Breuno-  
 uia.*

b Nicol.  
Salina.

Proco-  
pius in  
Bohemia  
natus.

Monasti-  
cis regulis  
imbuatur.

lustravit ex eodem. Cænobio progressus PROCOPIVS homo Bohemus, & paren-  
tibus nec eminentissimis, nec obscuris Co-  
thumæ in Bohemia in lucē effusus. qui penē  
infans seueriorem quandam viuendi disci-  
plinam amplectebatur. Quam eius magnū  
quid pollicētem indolem parentes animad-  
uerrentes, Pragam eum admodū puerum  
transfulerunt, vt Vissegradi Dalmaticis liti-  
ris, quæ id temporis ibi florentes erant, ex-  
poliretur. In quibus ille tantum desudauit,  
vt comilitonibus suis doctrinā multis gra-  
dibus emereret. Viuendi quoq; eius ratio  
tam insigniter pura fuit, vt eā excitati præ-  
cipui eius loci Sacerdotes, eum licet reni-  
tentem Collegio suo cooptarent. In quo  
ille statu peruigil in orationibus consiste-  
bat, die nihilominus in diuino officio con-  
trito. Deniq; tandem sacerdotij gradum  
conscendens, cogitare cæpit parum se ha-  
ctenus in pietatis studio progressum. Itaq;  
hæc animo agitans, in monachum D. BE-  
NEDICTI instituta (in Breunouienti Cæn-  
obio) professum, Deo hoc ita curante, in-  
cidit, à quo & vitæ ab humanis negotijs se-  
iunctæ normam excepit, & cultu corporis  
novo inuolutus est; sicq; parentes inuisit,  
non eā mente, tanquam impotentiori ali-  
quo conspiciendi eos affectu pungeretur,

sed

sed vt reconditam aliquam specum eligeret,  
in quâ liberius DEO officij sui pensum ex-  
soluere posset. Quod cum ageret, deuenit  
tandem in antrum quoddam duobus circi-  
ter miliaribus à castro Curimæ diremptum,  
qui locus à fluuio præterlabente Salsauæ  
appellationē percrebuit.

Et quippe hoc antrum mille propemo-  
dum dæmonia infederant, quæ non leues  
illi molestias creabant. Sed ille vt athleta  
CHRISTI impavidus, cum ijs orationum  
& ieiuniorum telis acriter depugnans, pal-  
mam certaminis semper referebat. Cuius  
tam grandes spiritus & masculos labores  
cum vellet Deus orbi palam facere; ecce,  
Vdalricum Principem Bohemiæ occasione  
venationis, præconem virtutis eius & tes-  
tem inculpata actionis produxit. Qui &  
mox flagitare quasi importunius à sancto Pa-  
tre cæpit, vt leuandorum criminum suorum  
spe certiori multam in se iudicio suo Pater  
decernere non grauaretur. Nec mora: eius  
tam sanctas preces admittēs PROCOPIVS,  
vt templum DEO sub nomine D. IOAN-  
NIS BAPTISTÆ à fundamentis erigeret,  
idq; celebre religiosi viris eò contractis, &  
prouentibus dotatis efficeret, in mandatis  
ei dedit. Quæ omnia Dux vt animosè &  
alacriter expetiuit, ita etiam exauditus stre-

Degit in  
antrum.

Luctatur  
cum dæ-  
monibus.

S. Ioannis  
Baptistæ  
Monasterium fua-  
datur.

nuè extremam manum operi adiecit: quod factum est anno salutis millesimo nono: quo tempore HENRICVS secundus fasces Imperij post OTTHONEM Tertium possedit, & in Pannonia beatus STEPHANVS Rex dicinorum operum effector magnificus florebat.

Et sanè hic cælestibus negotijs dum vacans ageret PROCOPIVS stipatus choro purgatoris sensus hominû, quos sibi delectu acri habito collegerat, mirû dictu, quantis vndiq; egenorum & morbis tentatorum examinibus, præcipuè autem eorum, qui comitali morbo vexabantur, crebrò circumfundebatur. Quibus omnibus Apostolicâ pietate ita se commodum impertiebat, vt nemo ab eo tristis, omnes lætitudinè redirèt. Ante omnia autem eò animum cogitationemq; intētam tenebat, ne quid domesticus eius, qui eodem cultu & sacramento obstricti Deo secum militarent importuniori aliqua spiritus tempestate iactarentur. At verò inter eâ Vdalricus Dux vita defungitur, herede Bohemiæ Beretislao filio scripto. Suggestur ei à proceribus suis, patrem eius mortis præcipitis interuentu non cumulatè monasterio illi censib<sup>9</sup> pollicitis satisfacisse. Quibus auditis, Dux nihil cunctandum in hoc opere rat<sup>9</sup>, subito in multis satisfacit, in

pau-

paucis se satisfacturum propediem hilariter recepit, PROCOPIVM QVE designatum cænobij eius præfectum, obfirmatè id munus defugientem, inextricabilibus rationum laqueis ita circumcinxit, vt enodare se minimè posset; quod munus deinde ille ita gessit, vt omnibus magnopere eius gubernandi ratio esset grata & accepta.

Sic scilicet benignè ius suum in omnes exercebat, vt nunquam aliquem subiectorum duriori ore percussit, omnes verò mirificè colloquijs suis, quibus frequenter eos ad officij initi perfectionem cohortabatur, permulserit. Vnde & factum, vt neque ille, in quem sanctus Dei, quòd molliori & fractiori vocis sono, quàm par erat, inter sacrificandum modulabatur, virgis animaduertere iusserat, quicquam eâ punitione irritaretur. Cognito autem tandem vitæ suæ occasu, palam EMERAMO & VITO, amantissimis ac fidelissimis secundum DEVM filijs, quòd sibi intra triduum mortis agon impenderet, denuntiare non destitit; epileptico etiam stipem tunc à se exigenti, vt tantisper præstolaretur, monuit, quo sibi, vitâ functo, tunicam elemosynæ loco absportare liceret. Post quod mox conuersus ad suos, præscio futurorum casuum spiritu, quæ tempestas incommodorum eos quæs-

Diem  
mortis  
suæ præ-  
dicat.

M

3

fatura

satura esset, se & Beretislao ablatis, instar Patriarchæ Ioseph apertè vaticinatus est.

Verùm ne infaustorum tantum commemoratione admodum concuterentur, commutatione festina prosperorum euentuum, quam sub VVratislao successore Spiritingnei experturi erant, eos rursus mirifice permulit. Atq; hoc sermone ad eos habito, conqueuit: & breui post vitam reliquit, circa annum Domini millesimum quinquagesimum tertium, ipsis Calendis Aprilis: quem postea Pontifex pronuntiauit sanctum præsentibus tredecim Patribus purpuratis anno Domini millesimo ducentesimo quarto, quarto Nonas Iulij.

Porro BREVNŌVIA præter supra memoratum ANASTASIVM & GAVDENTIVM S. ADALBERTI socium, alios insuper sex contubernales habuit, tam vitæ sanctimoniâ celebres, quàm martyrij gloriâ illustres, MATTHEVM, BENEDICTVM, IOANNEM, ISAAC, CHRISTIANVM, BARNABAM, de quibus sequenti capite separatim agemus.

Verùm ante prædictos IVAN Gestimuli Dalmatiæ Regis ex Elisabetha filius, Latine IOANNES dictus, (incertum an ex ordine S. BENEDICTI, cuius occasione tamen idem Ordo postea in Bohemia crevit)

erevit) clarus admodum inter Eremitas illuxit. Hic relictis parentibus, DEO se totum committens, in eremum profugit, & formidolosis siluarum flexibus, duce Angelo, pererratis, tandem in Bohemiam, adhuc idolis deditam, Neclane rerum summam administrante, peruenit, circa annum Domini octingentesimum quinquagesimum, septimum. Vbi cum in specu quadam, tribus circiter milliaribus à Praga disticta, molestissimis dæmonum incursumus biennio quateretur, fessus tantâ eorum insectatione, locum commutans inde abibat.

Sed sic eunti B. IOANNES BAPTISTA obuiam fit. Percontatur quonam se, & cuius rei gratia aliorum ferret? eum ille, quod res erat, fateri, dæmonum immoderatis se & continuis vexationibus adeo conturbari, vt nec consistere, nec moram facere queat. Tum verò BAPTISTA sanctum, rudem teneramq; Tyronis CHRISTI militiam miseratus, præsidio Crucis donata eam firmat. Quâ ille fretus, intrepidè ad deserta castra redire, & contra ouantes hostes, clamoribusq; eum incessentes, quod ibi se balneum habere dicerent, infesto signo procedere fatigavit; atq; adeo eius virtutem illi non ferentes, quaquaversum dilabi: ille victoriam prosequi, & intimius ad eos penetrare.

Apparet ei S. Iohannes Baptistam & crucem offert.

GRANAD

Feliciter migrat à vita.

SS. adscribitur.

Sancti Monachi in Breunonia.

S. Iuan primus in Bohemia eremita.



Vnus tamen ibi teterrimus, appresso petrar phantasmate proteruius hærebat Dæmon, dirissimis vocibus & immani rictu deuoraturus similis frendens. In cuius ille putentem hiatum Crucem conijciens, ad eum illum perculit, vt perfolia petra foras erumpere coactus fuerit. Cernitur nunc quoque id altè ductum foramen, & profugii hostis pudendos conatus testatur.

Sic ergo compefcitis dæmonum efficitis ausibus, pacatius deinde quadraginta & duobus circulis annorum eremitam gessit IOANNES, nulli mortalium annis quatuordecim visus, lacte interim ceruæ diuinâ curâ ei tempestiuè semper facunda vbera exhibere iussæ, pastus. Post illud enim tempus Boriuoius Dux feras persequens, nescius ceruam hanc nutricem IVANIS sagittâ traiecit, vestigijsq; eius hærens ad antrum viri Dei ignarus decurrit, miratus interim ceruam iacentem tam copioso lacte exuberare; cum ecce vir DEI, veste promissâ, impexo & intonso crine, supercilij oculos tegentibus specu progressus, cum Principe agere cæpit, quod animal suum tetis appetierit. Consternatus Princeps, non expectatâ talis viri facie, prodigiosumq; quid esse existimans, vna cum comitum manu pedem retrò tulit. Deinde animosior factus, impe-

Quadraginta duobus annis eremita. Quatuordecim nulli hominum visus.

Inuenitur à Principe.

rat ei per CHRISTVM (quem primus Boemorum Principum fide agnouerat) ediceret quid hominis fieret. Itaq; ille adiuratus, nomen, patriam, genus, euentusq; suos palam docet: quin & in petram aulam, quâ exierat, flagitantem hoc principem inducit, & Dei circa se administrationem euulgat. Rogatus tamen, vt equo se in urbem Tetinam deferri pateretur (ibi quippè Boriuoius DEO vacans vitam priuatæ similem cum Ludmillâ coniuge ducebat) recusauit, quod equitandi & ignarus esset, & quod commodius consequenti tempore id se obsequium Principi exhibere posse opinaretur, monens simul, vt ceruam, quam venator confecerat, egenis dispertiretur.

At verò inter eâ LUDMILLA sanctissima fæmina videndi tanti viri auida Boriuoium grauiter perurfit, vt Mystâ suo cum sex famulis & asino emissis, eum ad se deportarent. Cui aduentanti, & illa, & ille, honoris ergò, longè progressi, Aue religiosum detulerunt, & susceptum intra limina, dignis quoq; eorum nomine epulis honorârunt. Sed ille ieiunij lege perpetuâ appetitum gustatumq; suum definiens, nihil ex eis libare, nedum comedere elegit, sed ad suam specum anhelans, finito cum ijs de diuinis rebus colloquio, quamprimùm reuer-

Cogitur inuisere Ludmillam.

ti contendit, sacerdote Paulo & sex comitibus stipatus, omnibus regijs aulis exesi sui antri præferens horrorem. Ad eum triduo post Paulus Mysta profectus, lapsibus vitæ veteris eius auditis, eum expiauit. & re diuina coram eo facta, sacro CHRISTI corpore similiter refecit. Quo ille summâ animi corporisq; demissione sumpto, traditaq; Presbytero Cruce parua, quam D. IOANNIS BAPTISTÆ gratia, ad retundendos impetus dæmonum acceperat, tertia die post Synaxin, ex spelunca tenebricosa cæli regiam adijt, corporis sarcina ibi (nam ita fieri poposcerat) deposita circa annum CHRISTI nongentesimum. Quo in loco Boriuuius monasterium sub nomine D. IOANNIS BAPTISTÆ à se ædificatum, amplis prouentibus dotauit, duobusq; sacerdotibus eius curam pro tempore tradidit, sed eò postea viri ad normam D. BENEDICTI viuentes traducti sunt.

Post aliquot tempora BRETISLAVS Bohemix Dux REGRADENSE in Morauia Cænobium è manubijs Hungaricis ædificandum curauit.

Eius sanctus obitus.

D. Ioannis Baptistæ Monasterium

Item Regradense.



S. S. BENEDICTVS ET IOANNES MATTHEVS. ISAAC CHRISTINVS MARTYRES ET BARNABAS CONFESSOR ORD. S. BENEDICTI IN BOLONIA.



CAP. XIII.

DE REGNO POLONIAE, ET ALIIS QVIBVSDAM REGIONIBVS IN QVIBVS

S. BENEDICTI Regula Recepta & obseruata fuit.



**S**ADALBERTVS (VL supra dictum est) vna cum BOLES LAO Principe

*a Tom. Dubram. hist lib. 4.*

Boiemie canobium, quod BREVNVIAM vocant, ædificauit, ac munificentissime dotauit, deductis in contubernium sodalibus, quos ex Italiã secum adduxit, quibus ANASTASIUM Abbatem præfecit. Sapius in hoc contubernio ADALBERTVM, quàm in domo sua Pontificali reperisses, adeo moribus & natura eum sanctis illis Patribus congruebat. Sed

Boleslaus  
sepius in-  
uisit Bren-  
nouienſe  
Cenobi-  
um.

Gauden-  
tius Guel-  
benſis  
Epiſco-  
pus.

nec **BOLĒSLAVS** à consuetudine illorum  
abhorrebat, festis praesertim diebus sponte  
ueniens ( vt bonis mos est ) ad bonorum  
coniuidia, quae à precibus illi incipiebant, &  
cum precibus finiebant, magna cum mode-  
stia & disciplina, atq; abstinentia ciborum.  
Praeter **ANASTASIVM** autem Abbatem,  
& **GAUDENTIVM** fratrem ( quem Prae-  
sulè ciuitatis Gnesnae Polonis idem **ADAL-  
BERTVS** dederat ) alios insuper sex con-  
tubernales **BREVNŌVIA** habuit, vt vitæ  
sanctitate celebres, ita tamen celebritate  
hominum minimè gaudentes.

Illi igitur desiderio solitudinis, cum  
migrandi ex Boemia in Poloniam consilia  
cepissent, occiso **ADALBERTO** Epi-  
scopo, ad **GAUDENTIVM** diuerterunt,  
cupidissimum sanè illos penes se retinendū,  
nisi quod cupidius illi secretum sibi dari o-  
stendiq; petebant. Euius precibus **GAU-  
DENTIVS**, deduci illos in locum planè so-  
lum, longeq; ab hominibus semotum iubet;  
nactiq; illi quem optabant secessum, in eo  
tuguriolum, & iuxta illud ex lignis coag-  
mentatum sibi sacellum constituunt. No-  
mina contubernaliū **MATTHEVS, BE-  
NEDICTVS, IOANNES, ISAAC,  
CHRISTIANVS, BARNABAS**. Fru-  
galitatis omnium istorum innocentiaq; &

Sex Breu-  
nouien-  
ses ere-  
mitæ in  
Polonia.

con-

continentiæ atq; vigiliarum indicium hoc  
fuerit, quod non solùm ab iniuriæ noxâ, sed  
ab omni quoq; specie malâ abstinerint,  
quòd famem pane solo sepius, rarò adiu-  
cto olere, quod suâ sibi manu seuerant, ex-  
plebant: sitim autem aquâ semper sedabant,  
quòd à pecuniâ possidendâ itâ sibi tempe-  
rauerint, vt ne obulum quidem in zonis  
suis, aut marsupijs possidere vellent; quòd  
deniq; stratis humi in matta scirpeâ, corpo-  
ribus cilicio vestitis, somnum ante mediâ  
noctem interrumperent, & quasi iam auro-  
ra illis illuxisset, reliquum noctis dieiq; per-  
petuò in hoc vigilauerint, vt **DEVM** pecca-  
tis hominum offensum, assiduis deprecatio-  
nibus placarent. Nam ipsi itâ propitium il-  
lum habebant, vt morbo impeditos homi-  
nes, aut à malo dæmone obsessos solâ ora-  
tione curarent & liberarent.

Porro quoniam rumor iam pridem de  
bonâ istorum vitæ consuetudine ad **Me-  
schonem** Principem Poloniæ peruenerat,  
inuasit eundem **Meschonem** cupido viden-  
di & alloquendi viros ex rumore sibi lau-  
datos. Vbi igitur ad latebras eorum per-  
uenit, submotaq; assentantium turba, ipse  
cum paucissimis Sacellum, in quo sacros  
psallebant hymnos, introijt, affusâ subito  
oculis & animo suo religione, perinde est  
pet-

Intius-  
tura  
Principe

permotus atq; si introiisset penetrare numinum, non hominum. Deniq; illos velut presentia numina veneratus est. tractavitq; liberaliter pecuniâ oblatâ, quam etiâ illis inuitis abiens reliquit, præsidium futuræ inopiæ, quam summam adesse cernebat. Sed enim illi, qui non adumbratam, sed solidam atq; vltroque colebant paupertatem, accersito BARNABA, quem panis & oleris dispensationi præfecerant, tollere exitialem pecuniam, & ad Meschonem continuo referre iubent. Abeunte BARNABA superueniunt latrunculi quidam, & in tugurium nocte irrumpunt, quæstiaq; inibi, & non inuentâ Principis pecuniâ, iram & furorem in eadem infontium virorum conuertunt: occisi ad vnum omnes ac solum BARNABAS per absentiam incolumis est seruatus; qui nihilominus sui similis permanens, vitam, quam capit colere, puram inculpataq; ad fatalem vsq; diem seruare non desijt, & ipse quoq; in tumbâ Gnesnæ, in quam ante se interfecti sodales elati sunt, conditus est. Cæsi sunt pij Christi cultores circiter anno redempti orbis millesimo decimo, in solitudine maioris Poloniæ, vbi nunc est Cazimira oppidum, pridie Idus Nouembris.

CUM D. ADALBERTO COS EX ITALIA

iii

in Poloniam venisse, Hagecus existimat: Duglossus verò, duos ex his Boleslao Regi postulanti, à ROMVALDO Camaldulensi abbate sancto missos esse, his deinde reliquos quatuor in societatem, vitæ sese adiunxisse, scribit Dubravius verò omnes sex è Breunouienti Boemiæ Canobio prodijisse, literis consignauit.

Ferunt, tuguria eorum ab iisdem latronibus incensa non arsisse: ipsos cum exitum sylvæ non inuenirent, regis iussu comprehensos, & ad martyrum tumulum alligatos, vt acerbissimum famis supplicium, expenderent, diuinitus cadentibus vltro vinculis solutos esse: cum penitentia patratæ sceleris ducti, ad DEI clementiam, & eorum quos dudum necarant, patrocinium confugissent.

Per hæc eadem tempora BOLESLAVS primus Poloniæ Rex Monasterium SECECHOVIENSE supra Vistulam in trachtu Sandomiriensi BENEDICTINIS sodalibus construxit, conferente patrimonio sui partem SECECHO Palatino Cracouiensi, & magistro militiæ Poloniæ ex gente Toporotum, à quo monasterium id nomen accepit.

Idem Rex iisdem Monachis paulò ante Russicum bellum construxit aliud Monasterium in monte Lysezo, siue Caluo, oran-

b Mart  
Crom lib.  
3. list.

latrones  
supplicio  
afficiendi  
per SS.  
Mart. li-  
berantur.

Sececho-  
niense  
Canobium.

Item Ly-  
sezense.

N

te

Quinq;  
ex eis oc-  
ciduntur  
à latro-  
nibus.

te & horrante EMERICO STEPHANI regis Vngariæ filio, viro sancto & casto, qui lubens cum BOLES LAO propinquo vitam degebat in Polonia. Atq; is portionem Crucis CHRISTI, quam Constantinopolitanus Imperator Patri eius STEPHANO magni muneris loco miserat; quaq; ipse pro amuleto vtebatur; in eo loco reposuit; vbi in hæc vsq; diem salutaria hominib<sup>9</sup> eduntur miracula.

Tinecense & Lubenense.

TINECENSE & LUBENSENSE Monasteria, originem suam debent CASTMIRO, eius nominis I. Regi Polonia; qui olim in Cluniaco Monachus fuerat; noni modò religionem professus, sed etiam ordine Diaconus. Atq; hunc quidem Poloni, professionis & Sacramenti religione à Pontifice Romano solutum, ad vacans maiorum suorum regnum reuocarunt. Qui ducta vxore & liberis procreatis, cum annis octo-decim regnasset, Poscaniæ A. C. CCLVII. viuere desijt.

6 Lib. 4. hist.

Pacato per circuitum regno, scribit Martinus Cromerus, e Cazimirus memor pristina conditionis, & vite monastica, victoriamq; contra Maslaum atq; barbaros diuino beneficio referens, Cluniacum, vbi monachus fuerat, legationem cum amplis muneribus mittit, benignitatem erga se Dei prædicat, Societatem

vno-

uniuersæ se suosq; commendat: aliquot monachos ad se mitti postulat, qui scilicet illius quasi colonias quasdam in Poloniam deducant: mittuntur duodecim. His partim TINECIAM arcem vno à Craconia milliario supra Vistulam, cum centum amplius pagis: partim LVBENSVM oppidum ad Odram situm, cum compluribus iidem pagis & prouentibus alijs attribuit: domicilia monachis extruxit atq; templa, eaq; per ampla suppellectili ad cultum diuinum apta ornauit. Fuit autem primus Abbas Tinecensis AARON Gallus: cuius integritas, pietas, & industria Cluniaci adhuc CAZIMIRO perspecta erat. Atq; is deinde RACHELINO, sexto Archiepiscopo sine Episcopo Cracouensi vita defuncto, à sacro eius Basilica Collegio postulatus septimus successit, Regis fauore & commendatione aduersus: decimas, quæ ex bonis TINECENSIS Monasterij Archiepiscopo Cracouensi prebebantur, Abbati & Monasterio iure sempiterno addixit & ascripsit: diocesim psalmodijs & precationibus ys, quæ Graduum vulgò dicuntur, onerauit. Multa item alia CAZIMIRVS Rex fecit & instituit, quæ ad religionis & Reipublicæ instauracionem pertinere existimabat: pace perpetua, post Maslaicum bellum fatigatam superioris temporis malis Poloniam, mirum in modum recreauit: eòq; instauratoris pacifici cognomentum meruit.

Cluniacenses monachi vocantur in Polonia.

Aaron Abbas fuit Episcopus Cracouienensis.

Mogil-  
nense  
Monaste-  
rium.

MOGILNENSE Monasterium costru-  
xit ac ditauit BOLES LA V S (cui Audacis &  
Liberalis cognomentum fuit) in eoq; BE-  
NEDICTINOS collocauit, circa A. C.  
c. lxx.

Item Co-  
sciolense.

COSCIOLENSE Benedictinorū Mo-  
nasterium in suburbano Casissiensī; Du-  
glossius conditum refert à MIEZIS LA O  
III. Circa A. C. c. lxx. cc. Circa eadē ferē tem-  
pora innumera vtriusq; sexus Ord. Cisterci-  
ensis Monasteria, sub regula eiusdem S. P.  
N. BENEDICTI per Poloniam fundata  
fuerūt, quæ hic vt enarremus, institutum  
nostrum non patitur.

De Canobijs Sueciæ, Daniæ, & partium  
Aquilonarium, legatur Albertus Krantzius  
in suis Suecia, Dania, Vandalia, & Norue-  
gia; & Ioannes Magnus Gothus Episcopus  
Vpsalensis, in libro de gestis Episcoporum  
Vpsalensium, & de rebus gestis Gothorum;  
Helmoldus Presbyter in Chronico Slauo-  
rum. Arnoldus Abbas eius continuator  
& alij nonnulli rerum Aquilonarium scri-  
ptores.

Quomodo BENEDICTINI primi o-  
mnium in Occidentales Indias, regnum  
nempè Peruanum, siue Americam penetra-  
fint, & BVEILLVS primus Indiarum Ar-  
chiepiscopus & Patriarcha, ac Vicarius

Sum-

Summi Pontificis creatus sit, A. C. M. CD.  
XCIII. in sequentibus libellis, Deo dante,  
explicabitur.

Hæc pauca de pluribus habui, quæ de se-  
lici Ordinis nostri propagatione in com-  
mune conferrem, non immemor interim  
posterioribus seculis, deficiente paulatim  
*scientia scripturarum, & insigni erga Deum o-  
pimum charitate, quæ tamquam fræna quæ-  
dam & firmamenta sunt conseruandæ reli-  
giosæ disciplinæ, Ordinis nostri statum ma-  
iorem in modum labefactatum: quod fle-  
bili etiam oratione deplorare non piget, &  
quidem non meis verbis (probe enim noui,  
quam facile sit irritare crabrones, & quod  
exempla per se sint odiosa) sed Iacobi Virri-  
aci Cardinalis, qui Friderici secundi ætate,  
Honorio tertio sedente, floruit. Is id ipsum  
nobiscum hoc maestior lugeat, quod nulla  
religio alia tot sanctis viris abundasset, aut  
tamis tempore rigorem disciplinæ conseruasset,  
aut tot genuisset Ecclesiæ pastores; qui excel-  
lentis vite exemplo, & doctrina verbo collu-  
stratis tam multis regionibus, tot è diaboli fau-  
cibus animas eripissent. Quamdiu enim, in-  
quit, gratam Deo, & amicam religioni dile-  
xere paupertatem ambitionis & solitudinis  
securi, vigilijs, ieiunijs muniti, noctu diuq; in  
hymnis, psalmis & laudibus diuinis perseue-*

Epilogus.

d Hist.  
Occid.  
cap. 29.  
Ordinis  
in Eccle-  
siam me-  
rita.

Rigor &  
vite seue-  
ritas.

N 3

rantes

Incre-  
menta  
faculta-  
tum & c-  
pam.

vantes, lectionibus & sacrarum scripturarum meditationibus insistentes, in cilicio & cinere & cordis contriti compunctione, non solum sua, sed totius mundi peccata lugentes, eorum fama sanctitatis, & odor sanctae conversationis, non mediocres & infimos solum afflauit, verum & Reges, ipsosq; Principes summos allicito, ut diuitijs & amplis patrimonijs relictis, & habitu religionis suscepto, post odorem unguentorum suauolenitium cursu contenderent; beatos etiam se rati, si elemosynas suas apud ipsos collocassent. Hinc perfectum breui, ut cum ys temporibus alia monasteria ac religionum instituta nata necdum essent, huiusmodi possessio- nibus aucti, cunctos opum affluentia superua- derent. Postquam igitur dulce diuitiarum ve- nenum agris, vineis, decimis, & innumeris alijs veltigalibus eorum superfusum, impin- guati, increassati, dilatati maiorem partem re- calcitrare ceperunt; & ne persequar alia, pre- da ac direptioni ipsi cum monasterijs expositi, hoc maiora adiere discrimina, quod qui suspi- cere, & integros mores laudare consueuerant illustres viri, paulatim euaderent haud minus ad auferendum prouisi, quam olim fuerant ad largiendum prompti. Hac ferè

Vitriacensis.



INDEX.

INDEX.

- Cap. I. De S. P. N. Benedicto, eiusdemq; Ordinis fundatione & prerogatiuis. fol. 1.
- Cap. II. De perfectione ac eminentia Regulae & Religionis Benedictinae. 15.
- Cap. III. De S. Placido Protomartyre, & Ordinis per Siciliam & Italiam propagatione. 33.
- Cap. IV. De S. Mauro Abbate, & Benedictinorum per Galliam multiplicatione. 47.
- Cap. V. De Instituto Benedictino, ab Hispanis recepto; & S. Emiliano Abbate Hispaniarum Patrono. 61.
- Cap. VI. De primis initijs, progressu, & admiranda Benedictini Instituti propagatione in Magna Germania. 75.
- Cap. VII. Religionem S. Benedicti in Anglia mirifice propagatam fuisse per discipulos S. Gregory Magni Papae. 97.
- Cap. VIII. Qua ratione Regula S. Benedicti in Britanniam, Scotiam, Burgundiam, & vicinas regiones sit illata; Item de S. Columbano, eiusq; discipulis. 123.
- Cap. IX. De Alemannia Alsatia & Boiaria, & magno, Religionis Promotore S. Pirminio Episcopo. 139.
- Cap. X. De S. Odone Abbate Cluniacensi, eiusque Reformatione, ac Ordinis in Asia, & Aegypti partibus, usq; Constantinopolem & Hierosolymam propagatione. 153.
- Cap. XI. Etiam in Hungaria Benedictinos floruisse; & de quibusdam sanctitate claris viris. 167.
- Cap. XII. Ordinis S. Benedicti in Bohemia propa- gatio. 177.
- Cap. XIII. De Regno Polonia, & alijs quibusdam regionibus in quibus S. Benedicti Regula recepta & obseruata fuit. 189.





*Errata sic corrigito.*

Fol.	lin.		
4.	36	clarissimè	clarissimè.
20	In marg.	Labor	labor.
26	2	vt nulla	vt in vlla.
36	15	dilictias	delicias.
37	17	acto	actu
47	18	MARRVS	MAYRVS.
48	22	mitifirè.	mitificè.
52	8	BEEICTINAE	BENEDICTINAE.
55	vlt.	CALVMBAE	COLVMBAE.
61	12	ipfi	ipfo
eodem	13	at inter eos &c. at inter eos, qui idem institutum illustrarunt & propagarunt, praeteris clarior est habitus Æ MILIANVS &c.	
ibid.	17	ratices	radices.
ibid.	18	aqud	apud.
62	11	fercas	ferens.
63	25	conculfa	conculsi.
64	8	continuit	continuis.
ibid.	11	exidit	exitit.
ibid.	24	annis	annus.
ibid.	25	Vocatur	Vocatur.
ibid.	28	octao	octo.
66.	6	TOBIRIO	TORIBIO.
82	10	commitens	committens.
86.	2	proprio manu	proprio manuum.
137	5	antiquæ	antiqua.
134	23	Apostolli	Apostoli.
eod.	24	repentes	reperens.
137	24	tonsuram	tonsuram.

*Cetera prudens lector per se facile emendare poterit.*

